ARISTOTELIS ALIORUMQUE PROBLEMATA ACCEDUNT JUL. CAES...

Digitized by Google

8
7-b
41 M

V.54

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
2 A
9

8-7-6-41

8-G-d-7.

ARISTOTELIS
aliorumque
PROBLEMATA

Accedunt

JUL. CÆS. SCALIGERI
PROBLEMATA GELLIANA,

ET

MARCI ANTONII ZIMARÆ
PROBLEMATA

nec non

ALEXANDRI APHRODISÆI
Super Quæſtionibus nonnullis Phyſicis, Solutionum Liber

Interprete ANGELO POLITIANO.

****
******
****

AMSTELODAMI,

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS,
1635.

IN ARISTOTELIS *AC PHILOSOPHORUM* Medicorumque complurium Problemata Præfatio.

OMnes homines naturaliter ſcire deſiderant, ut ſcribit Ariſtoteles princeps Philoſophorum, primo Metaphyſicæ, cujus cauſa poteſt reddi talis, quia omne ens naturaliter appetit ſuam perfectionem, & ſimiliter conatur ſe aſſimilare primo enti, divino & immortali, in quantum poteſt. Sed ſcientia eſt de perfectione intellectus, ergo omnes homines naturaliter ſcire deſiderant. Rurſus & alia ratio eſt: nam quodcunque ens naturaliter appetit bonum, ut ſe conſervare poſſit in rerum natura; ſed omnis notitia ſcientifica, eſt de numero bonorum honorabilium, ut patet primo de anima. Ergò naturaliter omnis ſcientia, in quantum intellectui humano eſt poſſibilis, eſt appetenda. Quamvis igitur qualibet ſcientia ſit perſcrutanda, magis tamen illa, quæ eſt nobilior & communior aliis ſcientiis. Sed Philoſo-

ARISTOTELIS
aliorumque
PROBLEMATA

Accedunt

JUL. CÆS. SCALIGERI
PROBLEMATA GELLIANA,

ET

MARCIANTONII ZIMARÆ
PROBLEMATA

nec non

ALEXANDRI APHRODISÆI
Super Quæſtionibus nonnullis Phyſicis, Solutionum Liber

Interprete ANGELO POLITIANO.

****
******
****

AMSTELODAMI,

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS,
1635.

IN ARISTOTELIS

AC PHILOSOPHORUM

Medicorumque complurium Problemata Præfatio.

BIBLIOTECA ... ROMA VITTORIO EMANUELE

O*Mnes homines naturaliter ſcire deſiderant, ut ſcribit Ariſtoteles princeps Philoſophorum, primo Metaphyſicæ, cujus cauſa poteſt reddi talis, quia omne ens naturaliter appetit ſuam perfectionem, & ſimiliter conatur ſe aſſimilare primo enti, divino & immortali, in quantum poteſt. Sed ſcientia eſt de perfectione intellectus, ergo omnes homines naturaliter ſcire deſiderant. Rurſus & alia ratio eſt: nam quodcunque ens naturaliter appetit bonum, ut ſe conſervare poſſit in rerum natura; ſed omnis notitia ſcientifica, eſt de numero bonorum honorabilium, ut patet primo de anima. Ergò naturaliter omnis ſcientia. in quantum intellectui humano eſt poſſibilis, eſt appetenda. Quamvis igitur quælibet ſcientia ſit perſcrutanda, magis tamen illa, quæ eſt nobilior & communior aliis ſcientiis. Sed Philoſo-*

phica ſcientia confert maximas delectationes, ut patet decimo Ethicorum. Ergò præ cæteris ſcientiis Philoſophica diligentius eſt inquirenda, etiam propter alias cauſas. Nam præſens ſcientia, eſt ſimilis ſcientiæ Philoſophicæ: quia ipſa clarificat animam, & ipſa facit delectare in hoc ſeculo, ut dicit Ariſtoteles in libro De vita & morte: quæ etiam in tantum clarificat hominem, & ipſum primo enti divino, immortali, aſſimilari laborat, teſte Seneca in Epiſtola, in talia prorumpente verba: Hoc mihi Philoſophia promittit ſummoperè, ut me DEO *parem reddat. Libet igitur de animalium corporibus, præſertim de corpore humano, ex pluribus artificialibus codicibus Problemata colligere.*

PRO-

PROBLEMA PRIMUM EST TALE.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

QUæritur, quare inter omnia animalia homo habet faciem verſus cœlum elevatam?

Reſpondetur multipliciter: Primò, quòd eſt ex voluntate ipſius Creatoris. Et, quamvis illa reſponſio ſit vera, non tamen videtur valida in propoſito, quia ſic facilè eſt omnia ſolvere.

Secundò reſpondetur, quòd omnis artifex opus ſuum primum communiter facit deterius, & poſt hoc, opus ſuum ſecundum facit melius. Et ſic Deus creavit bruta animalia primò, quibus dedit faciem depreſſam, ad terram inclinatam: & ſecundò creavit homines, ut patet in Geneſi, quibus dedit figuram honeſtam, & ad cœlum elevatam. Sed illa reſponſio non videtur iterum valere ad propoſitum, ex quo eſt Theologica, & primo derogat bonitati Dei, quæ ſua opera, quantum eſt ex ſua natura, ſemper facit bona.

Tertiò reſpondetur, quòd inter omnia animalia ſolus homo eſt ordinatus ad regnum cœlorum & ideò habet figuram elevatam ad cœlum, quia, contemptis terrenis, contemplari debet cœleſtia in divinis.

Quarto reſpondetur, quod omnis rationalis eſt ſimilis intelligentiæ, & finaliter in Deum ordinata, ut patet per Averroem primo de anima, Ergo habet figuram elevatam ſurſum.

Quintò reſpondetur, quod homo exiſtit microcoſmus, id eſt, minor mundus, ſicut vult Ariſtoteles octavo Phyſicorum, ideò omnibus animalibus habet præcipere, & illo obediunt.

Sextò reſpondetur, & ultimò, quòd naturaliter culibet rei & operi talis figura eſt computanda, quæ ſuo motui fiet apta. Ut cœlo competit rotunditas, igni autem competit figura pyramidis, quæ motu ſurſum eſt apta. Ergo rei bipedali, ut eſt homo, figura diametrica & figura pyramidis eſt aptiſſima. Ergo inter omnia animalia ſolus homo capite eſt elevatus.

Quare caput animalium eſt piloſum?

Reſpondetur ſecundum Conſtantinum, quòd pili ſunt ornamenta capitis & cerebri, & cerebrum per generationes pilorum evacuatur à craſſis vaporidus, à ſupremo uſque ad partes inferiores, qui exeunt per poros carnis exteriores, & exſiccantur, & in pilos convertuntur. Patet, quia in toto homine nihil ſiccius eſt, quia ſicciores ſunt oſſibus, ut patet per Albertum Magnum, quia aliqua animalia nutriuntur ex oſſibus, ut canes. Sed nullum animal poteſt digere plumas vel pilos, quia indigeſti ejiciuntur, & omninò ſicci ſunt, & inepti ad nutrimentum.

Secundò reſpondetur, quòd cerebrum quatuor modis purgatur. Primò ab aquaticis humoribus ſuperfluis, per oculos: à melancholia, per

per aures: à cholera, per naſum: à phlegmate, per pilos: & illa eſt intentio medicorum.

Quare homines habent longiores crines in capite, quàm cætera animalia?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem tertio de generatione animalium, quòd homo inter omnia animalia habet cerebrum humidiſſimum, à quo egreditur ſudor, qui in crines longos capitis convertitur.

Secundò reſpondetur, quòd humores in homine ſunt pingues, non citò exſiccabiles, ergo pili in eo prolongantur. In illis autem animalibus humores ſunt facilè exſiccabiles, ergo ceſſat in eis prolongatio pilorum.

Quæritur ad idem, quare in aliis animalibus pili ſolùm infiguntur cuti, ſed in homine profundius radicantur in cute?

Reſpondetur & ideò, quia plus in homine habent de nutrimento, ergo etiam magis ad interiora prolongantur. Et hæc etiam eſt ratio, quare pili aliis animalibus variantur ad variationem cutis, & non in hominibus, niſi aliquando in cicatrice.

Quæritur, quare mulieres habent longiores crines quàm viri?

Reſpondetur, quia mulieres ſunt humidiores, quàm viri, & magis phlegmaticæ, ergo in eis plus eſt de materia pilorum, & per conſequens ſequitur longitudopilorum, & cum hoc talis materia cerebri magis augetur, à membris interioribus, & maximè tempore menſtrui, quia tunc materia aſcēdit, qua augetur humor pilorum. Ut dicit Albertus: Si pilus mulieris

menſtruoſæ ponatur ſub fimo, ex illo generatur ſerpens venenoſus.

Secundò reſpondetur, quia mulieres non ſunt barbatæ, & ſic materia barbæ tranſit in materiam pilorum, &c.

Quæritur, quare aliqui homines habent crines molles, & aliqui duros?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, quòd cutis pili ſunt termini analogi, modò quædam cutis eſt dura, quædam ſpiſſa, quædam ſubtilis, & quædam craſſa. Ergo pilus, qui egreditur per poros ſuperficiales craſſæ cutis, fit craſſus, & qui per poros ſubtilis, fit ſubtilis. Etiam quando pori ſunt aperti, tum exit multus humor, ergo pili duri generantur. Et ubi pori ſunt auguſti, ibi molles & ſubtiles crines generantur. Et hoc Ariſtoteles in hominibus declarat, hujus ſignum primò habemus, quia mulieres habent molliores crines quàm viri, quod contingit ex eo, quia in eis pori ſunt clauſi propter frigiditatem.

Secundò, quia cholerici ſanè frequenter habent duriores & craſſiores pilos aliis, propter caliditatem ipſorum, & in eis pori valdè ſunt aperti. Ergo etiam barbeſcunt præ aliis. Philoſophus in Phyſiognomia. Et animalia duros pilos habentia ſunt audaciora, quia tales pili ordinati ſunt per calorem & per choleram, & cholera ſemper facit pugnare. Etiam Ariſtoteles ponit exemplum de Urſo & Apro Ex oppoſito animalia molles crines habentia, ſunt timida, quia frigida, ut Lepus & Cervus. Item Ariſtoteles dicit aliam rationem molliciei & du-

duriciei pilorum. Quia in regione calida, craſſiores pili generantur, ut habent Æthiopes. Per oppoſitum eſt de regione frigida, ut verſus Septentrionem.

Quæritur, quare quidam homines habent criſpos crines, & quidam planos?

Reſpondetur, quòd cauſa criſpitudinis & ſuper abundantia caloris ut ſi in homine eſt multus calor, tunc generantur pili criſpi, quia tunc movetur ſurſum, & ejus ſignum eſt, quòd aliquando aliquis intrat balneum ſcilicet, habens crines planiſſimos, poſtea tamen acquirit alios crines criſpos. Ergò balneatores ſanè frequenter habent criſpos crines ſimiliter Æthiopes & cholerici. Sed cauſa planiciei, eſt multa humiditas fumi, ex diametro tendens deorſum. Et hujus ſignum eſt, quia mulieres ſanè frequenter habent planos capillos, quia ſunt multæ humiditatis & paucæ caliditatis.

Quæritur, quare mulieres pubeſcunt circa alvū, & non alibi, ſed viri in pectore barbeſcunt? Reſpondetur Medicè: Quia in viris & mulieribus eſt fluentia humiditatis ibidem, & magis in mulieribus: Quia in viris eſt os veſicę in illo loco, in quo tenetur urina, ex qua generantur pili in pectore, & circa umbilicum. Sed de mulieribus ſic dicitur, quòd humiditas veſicæ & matricis ibi conjungitur, ergo multus fumus ibi reſolvitur, qui eſt materia pilorum, quia eodem modo fit ſub humeris, & ita aliis locis hirſutis.

Quæritur, quare mulieres non barbeſcunt?

Reſpondetur, quia in eis eſt defectus caliditatis, ut etiam in aliquibus viris effœminatis,

qui ſunt imberbes propter eandem cauſam, quia habent complexionem muliebrem.

Quæritur, quare ſuſpenſis creſcunt crines?

Reſpondetur, quia corpora eorum ſunt expoſita ſoli, qui calore ſuo totum humidum reſolvit in fumum, ex quo generantur & augentur crines.

Quæritur, quare pili barbæ ſunt craſſiores aliis, & quanto plus abraduntur, tanto plus indureſcunt?

Reſpondetur per regulum Medicorum. Quanto plus de aliquo liquore humor ſeparatur, tanto plus ad talem locum humor contrahitur: Ergo quanto plus pili abraduntur, tanto magis ibi confluunt humores, & ex eis crines generantur, & ibidem indureſcunt.

Quæritur, quare mulieres ſunt valdè planæ, & formoſæ, reſpectu virorum?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, primo de generatione animalium. Quia in mulieribus tota humiditas, & ſuperfluitas, quæ eſt materia pilorum corporis, expellitur cum materia menſtruali, quæ manet in viris, per vapores tranſiens in pilos. Et hujus ſignum eſt, quia mulieres raro habent fluxum ex naribus, vel apoſtema, vel ulcera, quia talis materia ejicitur, quia videmus aliquas vetulas balbeſcere in ſenectute, ſcilicet poſt quadraginta vel quinquaginta annos, cùm ceſſant menſtrua, ut dicit Ariſtoteles nono de Animalibus.

Quæritur, quare inter omnia animalia ſoli homines caneſcunt? velut Protagoras, & Ariſtoteles primo de generatione.

Reſ-

Reſpondetur ſecundum Philoſophum, quòd canicies cauſatur in hominibus, quia inter omnia animalia habet calidiſſimum cor. Ideo natura ſagax, ne per calorem cordis homo ſuffocaretur, cor calidiſſimũ ſuppoſuit frigidiſſimo cerebro, ut caliditas cordis temperaretur frigiditate cerebri, & è converſo ſic, quòd temperamentum adderetur utrobique. Hæc etiam patent ex tali ſigno, quia inter omnia animalia homo habet turpiſſimum odoratum. Secundo de anima. Etiam homo quaſi medium vitę ſuę conſumit dormiendo, & hoc contingit ex ſuper abundantia cerebri frigidi & humidi, & ſic indiget calore naturali illud humidum digerente & conſumente. Et illum calorem ſufficientem habet in juventute, ideò non efficitur canus: tempore verò ſenectutis deficit in calore naturali. Et ſic vapores aſcendentes à ſtomacho manent indigeſti, propter defectum caloris naturalis, & ſic conſequenter putreſcunt, & illam putrefactionem humorum ſequitur albedo, quæ dicitur canicies.

Ex illo patet, quòd canicies nihil aliud eſt, quàm albedo crinium, ex putrefactione humorum circa radices pilorum, ex defectu caloris naturalis tempore ſenectutis cauſata.

Etiam canicies cauſatur ex malitiâ complexionis aliquando, & illa benè contingit in juventute, aliquando etiam ex humido indigeſto, aliquando ex nimio timore vel cura, ut patet de mercatoribus navigantibus, & raptoribus: Unde Verſus.

Cura facit canos, quamvis homo non habet annos.

Quæ-

Quæritur, quare crines rufi citius albeſcunt, quàm alii?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, quia rubedo eſt infirmitas pilorum, nam generantur ex materia infirma & debili, ſcilicet ex materia menſtruali, ideò citius caneſcunt quàm crines nigri

Quæritur, quare lupi griſeſcunt?

Pro quo nota differentiam inter caniciem & griſitiem. Quia canicies cauſatur ex defectu caloris naturalis, ſed griſities ex voracitate & commeſtione, ut patet per Ariſtotelem ſeptimo de animalibus. Cum lupus eſt animal multum vorax, quia multum comedat, & guloſe ſine maſticatione, & ſemel in tantum, quod contentus ſit per triduum, & tunc ille cibus cauſat vapores craſſos in corpore ipſius lupi, & per conſequens griſities ex ipſis generatur. Item griſities & canities ſecundo differunt, quia griſities fit per totum corpus, canities verò ſolummodo fit in capite.

Quæritur, quare equi griſeſcunt?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem in libro de animalibus; Quia eorum corpora plurimũ ſunt in ſole. Et ſecundum eundem quarto Meteororum, Calor etiam quandoque accidentaliter facit putrefieri, ergo ex tali calore materia pilorum putreſcit, & per conſequens etiam valde citò calvantur.

Quæritur, quare homines calveſcunt, & arbores in hyeme defoliantur!

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, uti ſuprà de animalibus, quod eadem de cauſa homines

nes calveſcunt, & arbores defoliantur. Quia defectus humiditatis utrobique eſt cauſa defectus, tàm pilorum quàm foliorum. Et hoc pulchrè declaratur, quia per actum Venereum homo calveſcit. Quia luxuria eſt emiſſio naturalis humiditatis & caliditatis. Et ſic per luxuriā humidum conſumitur, quod eſt nutrimentum pilorum. Ergo ſequitur calvities. Et hoc declaratur evidenter in eunuchis, & mulieribus, quæ non calveſcunt, quia tale humidum ab eis non ſeparatur. Unde eunuchi habent complexionem fœmineam.

Sed quando quæritur, quare eunuchi non calveſcunt, nec habent podagram, id eſt, infirmitatem pedum, ut dicit Hippocrates ſextâ particula Aphoriſmorum?

Reſpondetur ſecundum Galenum in Commento: ibidem, quòd cauſa calviciei eſt ſiccitas, & ſiccitates non ſunt in eunuchis, quia carent teſticulis, qui ſupplent calorem per omnia membra, & calor ipſe poros, quibus apertis, cadunt pili.

Quæritur, quare mulieres non calveſunt?

Reſpondetur, quia frigidæ & humidæ ſunt, & hoc utiq; operatur permanentiam pilorum. Nam humiditas dat nutrimentum pilis, & frigiditas poros conſtringit.

Quæritur, quare calvi ſunt fallaces? ut dicit metrum.

Si non vis falli, fugias commercia calvi.

Reſpondetur, quia calvitas atteſtatur ſupra complexionem cholericam, quæ eſt calida & ſicca, & cholerici naturaliter ſunt fallaces, juxta il-

illum verſum: *Hirſutus, fallax, iraſcens, prodigus, audax.*

Ergo ſequitur à primo ad ultimum calvos eſſe fallaces.

Quæritur, quare cæci naturaliter non calveſcunt?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, quià oculus habet multum humiditatis, & talis humiditas quæ tranſire deberet per ſubſtantiam oculorum, tranſit in nutrimentum ſufficiens pilorum, ergo rarò calveſcunt.

Quæritur, quare omnibus timentibus contingit pilorum erectio?

Reſpondetur, quia tempore timoris, calor vadit in interiora ab exterioribus membris: volens ſubvenire cordi, & ſic pori, in quibus pili figuntur, clauduntur; ad quam clauſionem ſequitur erectio pilorum, & hoc maximè patet in animalibus brutis, ſcilicet in porcis, in apris & pavonibus.

DE CAPITE.

QUæritur, quare caput hominis eſt rotundum?

Reſpondetur, quia hæc figura eſt aptiſſima ad capiendum in ſe aliquid, ut patet per Ariſtotelem, ſecundo de Cœlo, cùm ipſum caput capit in ſe quinque ſenſus, ut etiam declaratur in ſphæra materiali.

Quæritur, quare caput durum?

Reſpondetur per Ariſtotelem, quia continet in ſe humidiſſimam partem animalis, ut cere-

cerebrum per ipſum tanquam per clypeum tueatur.

Quæritur, quare caput non eſt directè rotundum, ſed oblongum?

Reſpondetur, ut in ipſo tres cellulæ aptius poſſint diſtingui, ſcilicet phantaſia in fronte: logiſtica ſive rationalis, in media: & memoria, in poſteriori cellula.

Quæritur, quare homo imaginando erigit caput ſurſum, ſive verſus cœlum?

Reſpondetur, quia imaginatio eſt in anteriori parte capitis ſive cerebri, ideò erigitur ſurſum, ut cellulæ imaginationis aperiantur, & ut ſpiritus animalis concurrendo facere poſſit imaginationem.

Quæritur, quare homo cogitans & recogitâns de præteritis, caput ſuum inclinat ad terram?

Reſpondetur, quòd ideò, quia cellula poſterior eſt memorativa. Ergò illa erigitur verſus cælum, cùm caput inclinatur ad terram, & ſic aperitur illa cellula, ut ſpiritus animales, perficientes memoriam, intrarent.

Quæritur, quare caput non eſt carnoſum, ſicut alia membra?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, in libro de animalibus. Quia caput nimium aggravaretur, & morari non poſſet. Ergò eſt ſine carne. Etiam caput carnoſum deſignat complexionem malam.

Quæritur, quare caput ſæpè patitur dolores?

Reſpondetur ſecundum Conſtantinum, in

libro de Stomachis. Quòd quandoque patitur dolores, ex aſcenſione malorum vaporum provenientes, qui de ſtomacho ad caput extolluntur, & ipſum cerebrum perturbant, & ſic cauſatur dolor. Etiam dolor capitis maximè provenit à ſtomacho, propter nimiam repletionẽ ipſius ſtomachi. Quia ſecundum Galenum duo magni nervi tranſeunt de cerebro ad orificium ſtomachi, & ſic iſta membra ſemper ſimul patiuntur. Etiam dolor capitis quandoque provenit propter vinum forte, vel propter cibaria fumoſa & acuta, ſic allium & cœpe. Etiam quandoque contingit ex phlegmate, in ſtomacho contento, de quo poſſunt venire febres quotidianæ.

Quæritur, quare mulieres ſæpius habent dolorem capitis, quam viri?

Reſpondetur ſecundum Albertum, quia mulieres patiuntur menſtrua, & non viri, & ſic fumus immundiſſimus & venenoſiſſimus reſolvitur, qui ſurſum petens exitum, ipſum caput dolore facit.

Quæritur, quare cerebrum ſit album?

Reſpondetur dupliciter, Primo, quia frigidum eſt. Et frigiditas eſt mater albedinis, ut patet per Philoſophum.

Secundò reſpondetur, quod ideo, ut poſſet in ſe recipere ſimilitudinem omnium colorum: Modo color albus eſt maximè ſimplex.

Quæritur, quare omnes ſenſus ſunt in capite?

Reſpondetur ſecundum Albertum. Quia ibi eſt cerebrum, à quo omnes ſenſus dependent, & diriguntur, & per conſequens, omnes

ſpi-

ſpiritus ſentire facit, & ab ipſo omnia membra reguntur.

Quæritur, quare cerebro læſo vel corde, homo non poteſt evadere mortem?

Reſpondetur, quia cor & cerebrum ſunt duo membra vitalia & principalia in animalibus, ergo ipſis læſis, nullum remedium eſt, quo curari poſſint.

Quæritur, quare cerebrum eſt humidum?

Reſpondetur, quod ideo, ut facilius recipiat impreſſionem. Quia humidum facilè eſt receptivum impreſſionum, ut patet de cera, quę facilè recipit in ſe figuram ſigilli.

Quæritur, quare cerebrum eſt frigidum?

Reſpondetur dupliciter: Primò, ut ex ſua frigiditate clarificet & ſubtilem reddat intellectum hominis.

Secundò, ut ejus frigiditate temperetur calor cordis, & hoc eſt de intentione Ariſtotelis in libro de Animalibus.

DE OCVLIS.

QUæritur, quare habemus unum naſum, & duos oculos?

Reſpondetur, quod ideò, quia viſus eſt magis neceſſarius homini, quàm olfactus. Id ergò provenit ex benignitate naturæ ſcilicet, ut ſi in uno oculo offenſio fiat, ſive deſtructio, quod tunc alter manet, ut ſi certè videmus, quod ſpiritus viſivus ad unum oculum dirigitur, ut patet in perſpectiva communi.

Quæritur, quare pueri in juventute habent magnos oculos, & in ætate graciles reddantur?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem ſecundo de generatione, quòd eſt propter maximam cerebri humiditatem, & propter hanc cauſam pueri ſunt multùm ſomnolenti.

Quæritur, quare oculi nigri in die benè vident, noctu verò malè?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, quòd propter indigentiam ignis, & propter luminis & humoris in oculis congregationem, qui illuminat humorem glacialem.

Quæritur, quare oculi glauci in die malè vident, noctu verò benè?

Reſpondetur per Ariſtotelem, quod glaucedo per ſe eſt lucida. Et ſpiritus viſibiles in die debilitantur, & nocte confortantur.

Quæritur, quare homines habent oculos diverſos?

Reſpondetur per Ariſtotelem, quod hoc eſt propter diverſitatem humorum. Unde oculus habet quatuor tunicas, & tres humores. Prima dicitur conſolidativa, quę eſt exterior, fortis & pinguis. Secunda dicitur cornea, ad ſimilitudinem cornu, & illa eſt perſpicua. Tertia dicitur uvea, ad ſimilitudinem uvæ magnę. Quarta dicitur tela araneæ. Sed ſecundum alios, oculus conſtat ex ſeptē tunicis, & tribus humoribus. Primus humor dicitur albugineus, ad ſimilitudinem albuginis in ovo. Secundus eſt glacialis, id eſt, glaciei ſimilis. Tertius eſt vitreus, id eſt, ad modum vitri clarus. Et illa diverſitas

tas humorum, facit diverſitatem oculorum.

Quæritur, quare homines luſci, & unoculi, ſunt boni ſagittarii? Et quare ſagittarii boni communiter claudunt unum oculum? Et quare ſpeculantes aſtra, vident uno oculo per cavos?

Ad hæc dicendum eſt, quòd hæc materia habetur in perſpectiva, & ratio eſt ſecundum quod patet in libro de Cauſis.

Quia omnis virtus unita fortior eſt, ſe ipsà diſpersà. Ergò tota virtus viſiva diſperſa in duobus uno oculo clauſo congregatur ad alium, & ſic viſus in ipſó fortificatur, & per conſequens certus videt uno oculo clauſo, quam ambobus apertis.

Quæritur, quare fortiter bibentes & ridentes lachrymantur?

Reſpondetur, quia dum bibunt, aër inſpiratus non exit per vocalem arteriam, & ſic cum impetu ad oculòs dirigitur per poros exeundo, & ſic humores oculorum expellit, & iſti humores ſic expulſi adducunt lachrymas.

Quęritur, quare multum flentes parum mingunt?

Reſpondetur per Ariſtotelem, quia humidum radicale lachrymæ, & urinæ, ſunt unius & ejuſdem naturæ. Ergo ubi fletus multiplicatur, ibi urina diminuitur, & quod ſunt ejuſdem nature & materiæ, patet in ſapore, quæ ambo falſa ſunt.

Quæritur, quare aliqui habentes claros oculos nihil vident?

Reſpondetur, quod hoc eſt propter opila-

tio-

tionem & deſtructionem nervorum viſivorum. Nam temporibus deſtructis, virtus viſiva ad oculum à cerebro deferri non poteſt, ut patet per Philoſophum in libro de Senſu & Senſato.

Quæritur, quare oculus ſit clarus & politus, inſtar ſpeculi?

Reſpondetur, quia res viſibiles reverberantur melius ſuper rem terſam & politam. Ergo oculus eſt politus, ut ex hoc viſus conſertetur.

Secundò reſpondetur, quia oculus eſt maximè humidus, inter omnes partes corporis, & aquaticæ naturæ: Modò ſicut aqua eſt clara & benè polita, ita & oculus.

Quæritur, quare homines habentes profundos oculos, acutè & longinque vident, & ſimiliter alia animalia?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, ſecundo de generatione animalium, quia virtus viſiva in eis non diſpergitur, ſed procedit ex diametro ad rem viſam. Et hoc declaratur in ſimili. Quia quando aliquis ſtat in profunda fovea, aut in fonte profundo, ſtellas cœli & firmamenti in terra die ſpeculatur, ut dicit Ariſtoteles in tractatu de forma ſpeculi, quia tunc virtus viſiva, & radii non diſperguntur.

Quæritur, quare homines habentes alios oculos, & non profundos, inde terminate vident, & malè?

Reſpondetur per Ariſtotelem, quia radii, qui tranſeunt ad viſum, diſperguntur ad latus, non directè procedunt ad rem viſam. Ergo viſum debilitant.

Quæ-

Quæritur quare multa animalia naſcuntur cæca, ſicut catuli Leonum & Canes?

Reſpondetur, quia talia animalia non ſunt adhuc perfectæ maturitatis, & in eis non operatur fluxus nutrimenti. Et hoc declaratur in ſimili, de hirundinibus, ut ſi illis in nido auferantur oculi, alii recreſcunt eis, & hoc patet in multis aliis animalibus, quæ etiam immaturè generantur, quaſi mortua, ut catuli, urſi, & iſta ratio eſt magis perſpectiva, quàm naturalis materia.

Quæritur, quare oculi mulieris menſtruoſæ inficiunt ſpeculum novum? ut dicit Ariſtoteles in libro de Somno & Vigilia. Et conſimile Problema eſt illud:

Quare Baſiliſcus interficit homines viſu?

Ad primum reſpondetur, quòd per talem modum, quia quando menſtrua fluunt de muliere, tunc aêr veneno ſiſſimus reſolvitur ab ea, quia aſcendit in caput mulieris, & ipſa multum dolens cooperit ipſum cum multis velis & retiis, & quia oculi ſunt poris pleni, ergo petit ibi exitum, & ſic inficit oculos, qui pleni ſunt ſanguine, & apparent in eis oculi guttoſi & lachrymoſi, propter malum vaporem in eis exiſtentem, & illi evaporantur, & multiplicantur uſque ad objectum ſpeculi. Et quia tale ſpeculum eſt multum ſolidum, mundum & politum, & ergo immundum accepit.

Ad ſecundum reſpondetur, quod Baſiliſcus eſt animal multùm venenoſum, & per oculos illius vapores venenoſi exeunt, & multiplicantur uſque ad rem viſam, & uſque ad oculum ho-

hominis, qui vapores venenoſi ſeu humores intrantes corpora inficiunt, & tandem homo interficitur. Et hęc ratio eſt, quare Baſiliſcus reſpiciens clypeum cum bitumine perfectè factum, aut aliam rem firmam & politam, interfecit ſeipſum, quia ab iſta re politâ & ſolida iſti humores reflectuntur & percutiuntur uſque ad Baſiliſcum, ex qua percuſſione interficitur. Et ſimiliter eſt dicendum de muliere menſtruoſa.

Correlativum eſt, quod quædam vetulæ, quando tempore menſtrui inſpiciunt ſpecula, aut alias res ſolidas, vel firmas, ſeipſas lædunt & offendunt.

Quare ſcintillatio oculorum in catis & lupis non apparet in luce, ſed in tenebris?

Reſpondetur, quod in luce majus lumen non obtuſcat, & extinguit minus lumen, ſic quod tunc extraneus color apparet ſcintillare, quamvis habeant aliquam materiam lucis, per quam tempore tenebroſitatis apparet ſplendidi, ex quo eſt corpus politum, & ſic illa materia lucis quodammodo obfuſcatur in die, ita, quod non apparet ſplendida, ſed magis colorata propter lucis obfuſcationem. Unde quanto magis ſunt tenebrę, tanto plus natura lucis, quę eſt in objecto viſibili, fortificatur, quia tanto minus impeditur, per majus lumen extrinſecum, quo poſſet obfuſcari.

Quare homo ſe videns in ſpeculo, mox obliviſcitur ſuæ diſpoſitionis & non ſcit qualiter ſit diſpoſitus?

Reſpondetur in libro de forma ſpeculi, quod ido-

idolum viſum per ſpeculum debiliter & reflexe repræſentat ſe potentiæ viſivæ, & ex quo debiliter repreſentatur, tunc debiliter apprehenditur, & per conſequens non diu retinetur.

Quare viſus recreatur per viridem colorem? ut, patet per verſum iſtum :

Fons, ſpeculum, gramen, oculis ſunt alleviamen.

Reſpondetur, quod viridis color mediocriter movet organum viſus, & ideò confortat viſum: hoc autem non facit color albus, vel niger, quia iſti fortiter movent & mutant organum viſus, ideò plus faciunt violentiam. Cujus ratio eſt, quia magis tendunt ad excellentiam ſeu violentiam. Sed quantò ſenſibile eſt magis excellens, tantò magis deſtruit & dibilitat ſenſum. Ut patet per Ariſtotelem ſecundo de Anima, qui dicit, quod ſenſible excellens corrumpit ſenſum.

DE NASO.

QUæritur, quare naſus excedat ultra alias partes capitis?

Reſpondetur dupliciter. Primò, quia naſus eſt quaſi cloaca cerebri, per quam phlegma cerebri expurgatur. Ergo excedit alia membra, ne immunditiâ maculentur.

Aliter reſpondetur ſecundum Conſtantinum, quia naſus eſt maximè decor faciei eminens ſeu ſplendens, cùm naturaliter odorat & faciem decorat, ut teſtatur Boetius libro de Diſciplina ſcholaſtica.

Quare homo inter cætera animalia habet ma-

malum & turpiſſimum olfactum ſeu odoratum? ut patet ſecundo de Anima.

Reſpondetur per Commentatorem ibidem, quod homo inter cætera animalia, quoad ſui quantitatem, habet cerebrum humidiſſimum. Et ergo ex tali excellenti humido & frigido, cerebrum non diſponitur, & per conſequens olfactus organo non diſpoſito, impeditur ſenſatio, ut patet per Ariſtotelem & Themiſtium libro de Anima. Ergo quidam homines omnino non odorant, & hoc eſt ſignum malæ ſenſationis, &c.

Quare vultures, ut vult Commentator ſecundo de Animá, optimè odorant?

Reſpondetur, quod habent cerebrum valde ſiccum, & ergo aer deferens odorem, non impeditur ab humiditate cerebri, ſed ſubitò tangit ſuum organum. Et ergo dicit Commentator ſuper tertium de Anima, quod vultures & tygrides, & alia animalia, prælio facto in Græcia, venerunt à quingentis miliaribus ad cadavera mortuorum.

Quare natura fecit nares?

Reſpondetur, propter triplicem utilitatem.

Primo, quia clauſo ore inſpiramus per nares in refrigerium cordis. Secunda utilitas eſt, quia aer procedens ex ore fœtet, quia fumi ſtomachi ſunt ei adjuncti, ſed aer reſpirans ad nares minus fœtet. Tertia eſt, quia phlegma procedens de cerebro, per nares purgatur.

Quare homines ſternutant?

Reſpondetur, ut virtus expulſiva & viſiva per

per hoc purgetur, & cerebrum à ſua ſuperfluitate purgetur. Quia ſicut pulmo purgatur per tuſſim, ſic virtus viſiva, & cerebrum, per ſternutationem. Etiam qui ſternutat frequenter, dicitur habere forte cerebrum. Et ergò medici ſternutorium dant, ut purget cerebrum. Et qui ſolent non potentes ſternutare, citò moriuntur, quia ſignum eſt, quod cerebrum eſt totum impletum malis humoribus, quia non poſſunt expurgari.

Quare apoplectici, id eſt, in quibus ſanguis citò effunditur, non poſſunt ſternutare?

Reſpondetur, quod meatus ſeu ventriculi cerebri ſunt eis oppilati, & obturati, & ſi poſſent ſternutare, forte apoplexia ſolveretur.

Quare calor ſolis provocat ſternutationem, & non calor ignis?

Reſpondetur, quòd calor ſolis tantùm reſolvit & non conſumit. Ergo vapor reſolutus expellitur per ſternutationem. Sed calor ignis reſolvit & conſumit, & ergo magis conſumit ſternutationem, quàm provocat.

DE AVRIBUS.

QUæritur, quare omne animal movet aures, præter hominem? Reſpondetur per Ariſtotelem, quod quidam muſculus eſt circa mandibulam in homine, qui prohibet motum in auribus, & ergo eo extenſo, homines movent aures, ut viſum eſt in pluribus hominibus: ſed animalia illo carent, ergo aures ſuas movent.

Qua-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quare ex erectione auricularum aſini, pluvia prænoſcitur?

Reſpondetur, quia aſinus eſt animal valdè melancholicum,& ex melancholia eſt ſentiens pluviam futuram. Modò tempore pluvioſo aures omnium animalium eriguntur, ergo aſinus ſentiens pluviam futuram, aures erigit.

Quare aviculæ non habent aures?

Reſpondetur per Ariſtotelem, quòd ideo eſt, quia natura dat unicuique quod ſibi congruum eſt: ſed ſi dediſſet aures,impedirent eas in volatu Similiter piſces carent auribus, propter natationem,& ſolùm habent parvas foveas & poros, per quos audiunt, ut declarat Ariſtoteles,de bove marino.

Quare veſpertiliones aures habent, cùm tamen videantur eſſe aves?

Reſpondetur,quod partim habent naturam avicularum in volando, ratione cujus habent alas:& partim habent naturam quadrupedum, eo quod ſunt piloſæ, quia mures ſunt,ideo natura ſagax diſpoſuit eis auriculas.

Quare homo inter cætera animalia habet aures rotundas?

Reſpondetur, quia figura totius, & figura partium in toto proportionantur, & maximè inter homogenea. Quia ſicut una gutta aquæ rotunda eſt, ita & tota aqua,ut probat Joannes de Sacro Buſco in Sphæra matriali. Sed quia caput hominis eſt maximè rotundum, ergo & aures declinant ſe ad eandem formam, ſive figuram. Sed capita aliorum animalium valdè ſunt oblonga, ergo & aures exinde prolongantur.

Qua-

Quare natura formavit aures ipſis animalibus?

Reſpondetur, quod fecit propter duo.

Primò, ut animalia per aures audirent, & ut res audibiles pertingerent ad pelliculam auris.

Secundò, quia per aures caput purgatur cholerica ſuperfluitate. Sicut enim caput purgatur per naſum à phlegmatica ſuperfluitate, ſic per aures à ſuperfluitate cholerica.

DE ORE.

QUare os habet labia ipſum circumſtantia?

Reſpondetur ſecundum Conſtantinum, quia labia tegunt & muniunt dentes, quia non eſſet pulchrum ſemper dentes apparere.

Aliter reſpondetur, quòd dentes ſunt frigidæ naturæ, & ergo citius læderentur ab exteriori, ſi per labia non tegerentur. Sed tamen alia poteſt eſſe ratio evidentior, quæ eſt moralis, ſcilicet, quod homo debet ſe moderari in loquendo, &c.

Quare homo habet duas aures, & unum os, ſimiliter duos oculos?

Reſpondetur, quod hoc eſt ex iſta cauſa, ſcilicet quod homo debet eſſe proviſor tàm in videndo quám in loquendo, & copioſior ex audiendo, ut ſapentior ſit. Quia ut dicit Ariſtoteles: Senſus auditus eſt ſenſus diſciplinæ. Et de viſu dicit, Quod ſenſus viſus multarum rerum nobis differentiam oſtendit. Et cum illo concordat Seneca dicens, *Duas aures à natura*

tura recepimus, & tantum unum os, & ideo natura ſagax aures fecit patentes, linguam vero duplici clauſula circumdedit, ſcilicet labiis, & dentibus.

Quare homo habet os?

Reſpondetur, propter multas utilitates.

Prima, quia os eſt oſtium ſtomachi,

Secunda, quia cibus in ore maſticatur & præparatur ad primam digeſtionem. Quamvis Avicenna voluit, quod ſecunda digeſtio fieret in ore. Tertia, quia in concavo oris aer inſpiratus, pro cordis refrigerio, ſubtilior redditur, & propter aliasmultas cauſas, quę poſtea patebunt.

Quare labia ſunt mobilia?

Reſpondetur, quod hoc fit propter formationem vocis, quia ſine ipſis vox perfectè formari non poteſt. Nam ſicut ſine ipſis literis, a, b, f, p, voces literales non poſſunt formari, ita nec ipſæ ſine labiis.

Quare homo oſcitat?

Reſpondetur ſecundum Gloſſam ultimæ particulæ Aphoriſmorum Hippocratis, quod hoc ſit à tædio, ut cùm homo ſedet cum ignotis, quibus libenter careret.

Secundo fit oſcitatio ex fumis craſſis replentibus maxillas, ex quorum expulſione fit maxillarum extenſio & oris apertio, & tunc fit oſcitatio.

Quare homo videns alium oſcitare etiam oſcitat?

Reſpondetur, quod hoc fit ex imaginatione. Et hoc declaratur ex ſimili, cùm aſinus eſt animal valdè ſenſibile, ratione melancholiæ,

quia

quia ſuperfluitates diu retinet, & nunquam urinaret vel comederet, niſi audiret alium urinare. Et ſic etiam homo ex imaginatione oſcitat, alio homine oſcitante.

DE DENTIBVS.

QUare ſoli dentes inter omnia alia oſſa, ſentiunt ſenſum tactus?

Reſpondetur ſecundum Avicennam & Galenum, ut poſſit diſcernere inter calidum & frigidum, ipſis nociva, quibus non indigent alia oſſa, quia utuntur illis cibis ſolùm ad ſaporem.

Quare viri habent plures dentes quàm mulieres?

Reſpondetur, quod eſt propter multitudinem caloris & ſanguinis, qui abundat in viris plus quàm in mulieribus.

Quare inter omnia oſſa dentes creſcunt uſque ad finem vitæ?

Reſpondetur ex ſecundo de generatione, quòd aliàs conſumerentur maſticando & molendo.

Quare inter omnia oſſa ſoli dentes recreſcunt, eis ablatis, alia oſſa ablata non recreſcant?

Per Ariſtotelem reſpondetur, quod omnia alia oſſa generantur ex humido radicali, & ſic generantur in utero matris, ſed dentes generantur ex humido nutrimentali, quod de die in diem renovatur & augetur.

Quare dentes anteriores in juvenibus cadunt & recreſcunt, & non molares?

Quare animalia cornuta carent dentibus in ſuperiori mandibula?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem in libro de Animalibus, quod eadem eſt materia cornuum & dentium, ſcilicet humidum nutrimentale. Ergo materia, quæ tranſit in cornua, non tranſit in dentes, & ſic deficiunt dentes in ſuperiori mandibula. Et talia animalia, ſecundum Ariſtotelem, non poſſunt benè maſticare cibum. Unde propter defectum dentium, ex conſequenti habent duos ſtomachos. Igitur ſequitur correlativè, quod his maſticant cibum. Unde primò mittunt cibum in primum ventrem, noctu autem reciprocant ruminando.

Quare quædam animalia naſcuntur cum dentibus, ut hœdi, & agnelli, & quædam ſine dentibus, ut homines?

Reſpondetur, quod natura non deficit in neceſſariis, nec abundat in ſuperfluis, ut patet tertio de anima. Ergò ex quo iſta animalia ſtatim poſt exitum ventris indigent dentibus, ideò naſcuntur cum dentibus. Sed homines mammillis matris nutriuntur ad tempus, ideò dentibus ad tempus carent.

Quare aviculæ non habent dentes?

Reſpondetur, quod materia dentium tranſit in roſtrum, ergo digeſtio eſt in eis.

Vel aliter reſpondetur, quamvis dentibus non maſticant, tamen per inſtrumenta ipſorum maſticant.

DE LINGVA.

QUare lingua eſt poris plena?

Reſpondetur per Ariſtotelem ſecundo de Anima, quod lingua eſt medium guſtus, & per os in poros linguæ ſapor pervenit ad ſenſum guſtus.

Aliter reſpondetur, quod ſaliva ſpumalis dirigitur ad os per linguam à pulmone madefaciendo cibum, ad primam digeſtionem præparando. Et ergo lingua eſt poris plena, & ut ſaliva per eam exeat.

Quare lingua febricitantium omnia judicat amara?

Reſpondetur medicè, quia ſtomachus corporis ipſorum eſt repletus cholerico humore, & cholera eſt maximè amara, ut patet ex felle. Ergo fumus amarus in ficit linguam. Quaproter lingua impleta ſaporibus, judicat eos amaros, quamvis amaritudo non ſit in cibis, ſed in lingua.

Quare nobis audientibus acida nominari, lingua aqueſcit?

Reſpondetur, quod virtus imaginativa eſt ſuperior virtute guſtativa, & cùm imaginamur aliquem ſaporem, tunc ipſum concipimus mediante virtute guſtativa, quia nihil guſtu percipitur, niſi mediante ſaliva. ergo tunc lingua aqueſcit.

Quare aliqui ſunt trauli, aliqui blæſi & balbutientes?

Reſpondetur, quod eſt pluribus de cauſis, ali- quan-

quando ſcilicet propter linguæ & cerebri humectationem, ut in pueris, qui defectuoſi ſunt in lingua, ut patet in proferendis multis literis. Secundo, hoc eſt propter extractionem nervorum exphlegmate, quia tales ſunt nervi euntes ad linguas, qui nervi corrupti ſunt.

Quare linguæ ſerpentum & canum rabidorum ſunt venenoſæ?

Reſpondetur, propter malitiam, & fumoſitatem humoris venenoſi in eis prædominantis.

Quare lingua canis eſt medicinæ apta, & è converſo equi eſt peſtilens?

Reſpondetur, Quod hoc eſt ex aliqua proprietate occulta. Poteſt dici quod ideò, quia lingua canis eſt multis poris plena, & ſic in ſe attrahit & tollit viſcoſitates vulneris?

Alii dicunt, quod canis ex natura habet quoſdam humores in lingua, quibus ſanat lingendo: oppoſitum eſt de equo.

Quare ſaliva eſt alba;

Reſpondetur, Quo hoc eſt ex continuo motu linguę, quia in continuo motu generatur calor, qui dealbat iſtam ſuperfluitatem, quę eſt ſaliva, ut patet in ſpuma aquarum.

Quare ſaliva eſt inſipida?

Reſpondetur, Si haberet determinatum ſaporem, tunc lingua non ſaperet, quia ſolummodo haberet ſaporem ſalivæ, & ſic alios ſapores apprehendere non poſſet.

Quare ſaliva jejuni ſanat apoſtema?

Reſpondetur ſecundum Avicennam, quia eſt benè digeſta, & ſubtilis reddita.

Quare aliqui homines abundant multum ſalivâ præ aliis?

Reſpondetur ſecundum Medicos, quod hoc propter phlegmaticam complexionem fit, quæ in illis prædominatur. Et ideò Medici dicunt, quod abundans ſaliva debet ſibi cavere à quotidianâ febre, ſurgente ex diminutione phlegmatis. Per oppoſitum eſt de illis, qui deficiunt ſalivâ, quia calor in eis ſuper abundat, qui conſumit humidum ſalivæ: Et ergo defectus ſalivæ eſt ſignum febris.

Quare ſaliva hominis jejuni eſt ſubtilior & albior, quam ſaliva hominis ſaturati?

Reſpondetur, quòd illa ſaliva eſt ſine viſcoſitate cibi, quæ ſolet ingroſſare ipſam ſalivam hominis pleni.

Quæritur, unde provenit ſaliva hominis?

Reſpondetur, quòd provenit a ſpumis ipſius pulmonis, quæ ſecundum Medicos eſt ſedes phlegmatis.

Quare animalia multùm coeuntia, ut apri, ſunt multum ſputoſa?

Reſpondetur, quod tunc pulmo & cor ſunt in maximo motu libidinis, ergo generatur in eis multum de materia ſputoſa.

Quare aviculæ non habent ſalivam?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem in libris de Animalibus, quia habent pulmonem valdè ſiccum, ergo non habent ſputum.

Quare Epileptici, id eſt, qui ſubmerguntur proprio ſanguine, & caduci putreſcunt?

Reſpondetur ſecundum Medicos, quia materia peccans eſt in cerebro, ſed ſi vomit, tunc ma-

materia peccans eſt in ſtomacho: ſed ſi multum mingunt, tunc materia peccans eſt in viis urinæ: ſed ſi ſperma habere incipiant, tunc eſt in vaſis ſeminalibus, & ergò medici ſecundùm hoc faciunt evacuare materiam.

Quare lingua aliquando perdit uſum loquendi?

Reſpondetur in ultima parte Aphoriſmorum Hippocratis, quod ex Paralyſi vel Apoplexia, id eſt, ex ſubita ſanguinis effuſione, hoc evenit, ſcilicet de humore craſſo. Et etiam aliquando ex inſpectione ſpiritus animalis in media cella cerebri, qui non mittitur ad linguam, & per vocis expreſſionem varię paſſionis actus declarant, ut patet in gloſſa ibidem, & hoc intendit Galenus.

DE PALATO.

QUare fructus ante maturationem ſunt inſipidi vel amari, & poſt maturationem ſunt dulces?

Reſpondetur, quod ſapor inſipidus cauſatur ex frigiditate, & defectu caloris in humido craſſo. Sed ſapor dulcis cauſatur ex ſufficiente calore. Unde in fructibus maturis humidum eſt ſubtile, & per calorem ſolis ſubtile redditum, ideò ſanè frequenter fructus tunc ſunt dulces. Sed ante maturationem humidum eſt adhuc craſſum, & non ſubtile redditum à calore ſolis. Ergo tunc fructus ſunt amari.

Quęritur, quare magis delectamur dulci ſapore, quàm amaro, vel alio?

Reſpondetur, quia natura jucunda delectatur dulcedine. Ratio, quia dulce eſt calidum & humidùm, & per caliditatem humiditates ſuperfluas diſſolvit, & per humiditatem abluitur immunditia. Sed ſapor acetoſus, ſive ſtipticus, vel ponticus, propter frigus in ipſo prædominans nimium conſtringit, & pungit, & membra offendit in purgatione. Ergo non delectamur illo ſapore, quia medici volunt, quod homines in æſtate, & in vehementi calore, non debent comedere aliquid amarum. Ratio eſt, quia amaritudo generat calorem. Sed ſolummodo in hyeme debemus comedere amara. Ergo dicit Ariſtoteles in libro de Nutrimento & nutribili, quòd dulce eſt amicum naturæ, & maximè nutrit.

Queritur, quare ſapor acetoſus plus incitat ad appetitum, quàm alius.

Reſpondetur, quòd ſapor acetoſus eſt frigidus, & frigefacit. Modo frigidi eſt appetere, & attrahere, & ideò cauſa eſt appetitus. Nota quod novem ſunt ſpecies ſaporum, quorum tres ſunt à calore, & tres à frigore, & tres à temperato medio.

Quæritur, quare de ſpiritu aëreo plus attrahitur, quàm emittitur?

Reſpondetur per Ariſtotelem ad Alexandrum Magnum in libro de Motu cordis, quod multæ partes aëris inſpirantur, & pertranſeunt nutrimentum, cum ſpiritualibus vitalibus inter pulmonem continentur. Et ergò tamdiu animal non ſuffocatur, quamdiu aërem in pulmone percipit, & ſic aliqua pars in ea continetur.

Quæ-

Quæritur, quare aer expiratus & expulſus videatur, cùm tamen aer per ſe ſit inviſibilis, propter ſui raritatem?

Reſpondetur, quia aer exſpiratus admiſcetur fumoſitatibus ipſius cordis, ratione quarum efficitur craſſus, & ſic videtur. Cujus experientia eſt, quia tempore hyemali videmus anhelitum mixtum fumoſitatibus, & ſic ingroſſatur, & condenſatur, & per conſequens videtur.

Quæritur quare aliqui homines habent fœtidum anhelitum?

Reſpondetur ſecundum Medicos, quòd aliquando fit propter malas fumoſitates ſtomachi, aliquando propter corruptionem ſpiritualium menbrorum, ut pulmonis. Ergo anhelitus leproſorum eſt infectus, quod inficit aviculas propinquas, quia interiora ipſorum ſunt maximè corrupta, ut patet ex definitione à Conſtantino data. Quia lepra eſt nutrimentum omnium membrorum cum putrefactione eorundum, & incipit in ſanguine, & terminatur in membris.

Quæritur, quare leproſi ſunt rauci?

Reſpondetur, quod ideo, quia in iis inſtrumenta vocalia ſunt corrupta, ſcilicet pulmo, &c.

Quæritur, quare homines rauceſcuut?

Reſpondetur, quod propter rheuma deſcendens de cerebro, replens canalia pulmonis, vel aliquando ex apoſtematibus in gutture, vel ex rheumate in collo congregato.

Quęritur, quare omnes fœmellæ inter omnia animalia, graciliores & ſubtiliores habent voces, quàm viri, demptâ ſolâ vaccâ?

Reſ-

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem in quinto de generatione Animalium, quod propter conſtrictionem venarum, & arteriarum vocalium, id eſt, ubi aer intrat, per quas vox formatur, ut patet in ſimili, quia fiſtula parva acutius ſonat, quàm major. Sic etiam eſt in mulieribus, quod via vocalis propter frigiditatem conſtringitur, & arctatur, quia frigidi eſt conſtringere, ſed in viris illa via, ex calore viri aperitur & ampliatur: ergo in viris graviùs ſonat, quia caloris eſt aperire, ſeu diſſolvere. Etiam dicitur, quod mulieres habent voces molliores propter humiditatem pulmonis, & propter debilitatem caloris. Etiam juvenes & infirmi eadem de cauſa habent acutas voces. Et eſt cauſa naturalis, quare maſculus in principio ſuæ nativitatis profert à, id eſt, vocem craſſiorem: ſed fœmella profert è, id eſt, vocem liviorem, ut vult Laberintus, cùm dicit: *Maſculus a profert*, &c,

Quæritur, quare in viris & mulieribus vox mutatur tempore pubertatis, & iſta mutatio maximè contingit tempore ſpermatis in viris, & tempore creſcendi mammillarum in mulieribus? Ut dicit Ariſtoteles in libro de Animalibus.

Reſpondetur per eundem, quia tunc remittitur principium vocis, ſeu relaxatur. Et hoc declarat in ſimili de chorda remiſſa, quæ graviter ſonat. Etiam declarat ex alio, quia animalia caſtrata, ut capones, ſpadones, eunuchi, habent voces molliores, propter privationes teſticulorum.

Quæ-

Queritur, quare homines rauceſcunt inſpectatione luporum?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, quia lupus eſt animal valdè & maximè frigidum in cerebro, unde habet caput grave. Si ergo videntium hominum ſpiritus viſibilis dirigitur ad eum, tunc attrahit aliquid de frigiditate ad pectus, modò ex illa frigiditate pectus conſtringitur, ubi ſunt inſtrumenta vocalia. Quia lupus non poteſt digerere aliasfumoſitates, ſed expirantur ab eo in aerem, & ſic ille aer circumſtans inficitur, & alius aer iterum inficitur ab illo, & ſic uſque ad hominem pervenit, tunc ille aer ſic infectus ab homine attrahitur, & facit eum rancum. Etiam diciturquod lupus eſt animal multum vorax, ut patet in libris de animalibus, quia avidè ſumit cibum, & comedit una vice tantum, quantum ſufficiat per tres dies. Et ſic lupus aperiens os ſuum, emittit humores crudos, & craſſos, & indigeſtos; à quibus aer inficitur propinquus, qui aerem alium iterum inficit, & ſic deinceps, donec perveniat ad hominem, quo inſpirato homo inficitur, eodem modo ſicut Baſiliſcus, qui emittit humores venenoſos oculos hominis inficientes.

Quæritur, quare homine lupum inſpiciente lupus non rauceſcit?

Reſpondetur, quia homo non eſt ita malitioſus, & frigidus, ut lupus. Et propter ſimilem rationem movetur hic tale Problema.

Quare interfectus, interfectore præſente, ſanguineſcit?

Reſpondetur, quod hoc eſt opus divinum, non naturale, quia ſanguis clamat vindictam contra interfectorem. Sed tamen ſi eſſet aliqua naturalis cauſa, maximè iſta, quod perpetrator hujus ſceleris recolens, maximè dolet, pœnitentiâ ductus, & ſic maximè æſtuat, propter fortem imaginationem, quam de eo habet, ſic quod omnes ſpiritus ejus ebulliunt, & ſic ad inſtrumenta viſus accedunt, & ibi exeunt per radios viſuales oculorum, uſque ad facta ſcilicet vulnera, quæ ſi recentia fuerint, ſtatim ſanguinem emittunt,

Secundò, hoc fit cum juvamine aëris inſpirati, ſic quod talis aër expiratus per vulnus, educit ſanguinem. Et ſimile eſt de oculo menſtruoſo, ubi poſteà macula apparet, dummodo per eum ſpeculum eſt infectum. Sed alii dicunt quò hoc fit à natura communi ad manifeſtandum homicidium.

Quæritur, quare parvæ aviculæ plus vociferantur & cantant, quàm magnæ, ut patet ſenſibiliter de alauda & philomela?

Reſpondetur per Ariſtotelem, quòd ſpiritus parvarum avium eſt levior & mollior, quàm magnarum. Ergo parvæ aviculæ facilitar procedunt in quodcunque deſiderium, & ſic frequenter cantant.

Quæritur, quare maſculi plus cantant quàm fœmella? ut patet in omnibus animalibus.

Reſpondetur, hoc eſt propter deſiderium coitus. Et ergo ſecundum Conſtantinum, in libro de Coitu dicitur, quod tunc ſpiritus maximè movetur in corpore, & fit appetitus coitûs.

Etiam

Etiam reſpondetur, quod generaliter loquendo de quolibet animali, fœmellæ ſunt frigidiores, quàm maſculi.

Quæritur, quare apes, veſpæ, muſcæ, & locuſtæ, & multa talia animalia vociferantur, cum non habeant pulmonem, nec inſtrumenta vocis?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem in libro de inſpiratione & reſpiratione, quod in eis eſt quædam pellicula, ad quam ſpiritus pulſans facit talem ſonum, & ergo mirabiliter ſonat talis ſonus.

Quæritur, quare piſces non vociferantur?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem ſecundo de Anima, quia piſces non habent pulmonem, ſed branchias, nec etiam cor, ergo non indigent inſpiratione aeris, & per conſequens non vociferantur. Quia ſecundum Ariſtotelem ſecundo de Anima, Vox eſt percuſſio aeris inſpirati.

DE COLLO.

QUæritur, quare animal habet collum?

Rèſpondetur ſecundum Ariſtotelem in libris de Animalibus, quod collum eſt ſuſtentamentum capitis. Unde ſecundum ipſum, collum eſt medium inter caput & corpus, ut per ipſum & ejus cervices & nervos, tanquam per vias medias motus & ſenſus corporis tranſlegantur, & per ipſum tanquam quandam diſtantiam cor maximè calidum à cerebro elongetur.

Quæ-

Quæritur, quare aliqua animalia carent collo, ut piſces, ſerpentes, & alia reptilia?

Reſpondetur, quia talia animalia carent corde: Ergo non indigent tali diſtantia, de qua dictum eſt.

Aliter reſpondetur, quòd in imo habent collum, ſed non eſt diſtinctum à corde & capite.

Quæritur, quare collum ſit oſſeum?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, ut eo fortius poſſet caput ſuſtentare. Etiam ideo, quia ſpina dorſi in collo conjungitur cerebro, & inde recipit medullam, quę eſt ejuſdem ſubſtantiæ cum cerebro.

Quæritur, quare quædam animalia habent longa colla, ut grues, & ciconiæ, & ſic de aliis?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, quia talia animalia requirunt ſua nutrimēta in profundo aquarum; ergo indigent longis collis. Sic etiam quædam animalia habent brevia colla, ut niſus, & accipiter: quia talia animalia ſunt rapacia. Ergo propter fortitudinem brevi collo indigent. Ut etiam patet de bove, qui eſt brevis colli, & ergo fortis

Quæritur, quare collum ſit concavum, & maximè in anteriori parte circa linguam?

Reſpondetur, quia ibi ſunt duò meatus, unum deferens cibum ad membra nutritiva, ut ad ſtomachum, & ad hepar. Et talis ſecundum medicos, dicitur Iſophagus, à φάγειν Græcè, quod eſt comedere Latinè.

Quare arteria vocalis ſit annuloſa?

Re-

Reſpondetur, quod eſt propter flexibilitatem, quæ producit bonam reſonantiam.

Quare pullus decollatus diu movetur, & homo decollatus ſtatim in volubilis eſt?

Reſpondetur, quòd pullus & ſimilia animalia habent nervos ſtrictos, & ſic in eis ſpiritus motivus moratur diutius poſt decollationem. Sed homines & ſimilia animalia habent nervos longos & amplos, & ergo ſpiritus ab ipſis citò recedit, & per conſequens non poſſunt movere corpus.

DE HVMERIS ET BRACHIIS.

QUuare homo habet humeros & brachia?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem in libro de Animalibus, quod propter delationem & portationem oneris.

Quare brachia ſunt rotunda?

Reſpondetur, quod eſt propter majorem velocitatem motus operationis. Quia talis figura motui eſt apta, ut patet per Ariſtotelem primo de Cœlo.

Quare brachia ſunt valdè craſſa?

Reſpondetur per Ariſtotelem, quod hoc eſt propter fortitudinem ad levandum & ad portandum onera, etiam ad contingendum ſeu pugillandum. Sic etiam oſſa eorum ſunt valdè craſſa, quia ibi eſt multum de medulla, ſeu materia medulloſa, ne citò corrumpantur brachia. Sed medulla in parvis oſſibus non poteſt contineri ita benè, ſicut in magnis.

Quare dolentes vel infirmi denudant vel tegunt brachia, & etiam laborantes in agone?

Reſpondetur ſecundum Hippocratem in libro Prognoſticorum, quod in talibus mors eſt propinqua, & eſt ſignum mortis, quia is eſt dolor maximus, qui facit brachiorem denudationem.

Quare in aliquibus infirmantibus brachia gracilia fiunt, id eſt, ſubtilia redduntur, ut in hydropicis, & phreneticis?

Reſpondetur ſecundum medicos, quia membra ſibi compatiuntur, & ergo uno dolente, omnes humores ibi concurrunt in doloribus prædictis. Nam capite dolente humores brachiorum currunt ad caput, & brachia gracilia fiunt.

Quare animalia bruta non habent brachia?

Reſpondetur, quod habent anteriores pedes loco brachiorum, vel pro brachiis,

Aliter reſpondetur & melius, quia omnia animalia habent organa aliqua ad pugnandum, & ad ſe defendendum. Ut lupus habet dentes: vacca cornua: equi, pedes poſteriores: volatilia, roſtra, & alas: ſed ſolus homo habet brachia ad pugnandum.

DE MANIBUS.

QUare ſolus homo habet manus, & animal ei ſimile, ut ſimia?

Reſpondetur, quòd manus eſt organum organorum, ut dicit Ariſtoteles de Anima, quibus maximè homo indiget. Quia multe ſunt ope-

operationes, quæ per manus fiunt, & non per alia organa.

Quare aliqui ſunt ambidextri, id eſt, utentes utraque manu pro dextra?

Reſpondetur, quod eſt propter multitudinem caloris cordis, & propter ſufflationem ejus calidam, qui facit ſiniſtram ita habilem, ſicut dextram, & ergo tales hominis ſunt procul dubio bonæ complexionis.

Quare mulieris non ſunt ambidextræ, ſicut viri, ut dicit Hippocrates circa ultimam particulam Aphoriſmorum, circa finem?

Reſpondetur ſecundum Galenum, quod hoc eſt ideo, quia calidiſſima mulier ſana, frigidior eſt frigidiſſimo viro ſano. Et dicitur inſignitè ſana, quia ſi febricitaret, tunc dictum eſſet verum, quia in tali caſu mulier calidior eſſet viro caliditate accidentali.

Quare digiti ſunt articuloſi?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem in libris de Animalibus, quod propter aptitudinem ad recipiendum, & ad tenendum receptum.

Quare quilibet digitus tres habet juncturas ſeu articulos, & pollex tantùm duas?

Reſpondetur, quod pollex etiam habet tres articulos ſeu juncturas, ſed tertius jungitur brachio. Et ergo fortior eſt quàm alii digiti, ut patet ex nomine, quia dicitur pollex, à polleo. Quia ſecundum Ariſtotelem, majoris eſt virtutis, quum etiam major ſit in quantitate.

Quare digiti dextræ manus ſunt ſubtiliores, quàm ſiniſtræ, ut vult Ægidius?

Reſ-

Reſpondetur, quod propter calorem in tali parte dominantem, qui facit majorem ſubtilitatem,

Quare digiti ſunt craſſiores ante cibum quàm poſt, ut dicit Albertus?

Reſpondetur ſecundum omnes medicos, quod homo jejunus repletus eſt malis humoribus, & fumoſitatibus diverſis, quæ ingroſſant omnia membra, etiam digitos, ſed cùm illi humores ſunt per cibum expulſi, ſic digiti magis graciles fiunt. Et eadē de cauſa homo jejunus eſt gravior, quàm homo cibatus, ut patet expreſsè de jejunantibus. Et poteſt reddi melior ratio, quia poſt cibum calor à membris exterioribus delegatur ad interiora, propter digeſtionem cibi, & ergo membra exteriora gracilia redduntur, ſed poſt digeſtionem cibi è converſo dirigitur ad membra exteriora, & ergo tunc ingroſſantur.

Quare aliqui homines ſunt magis habiles in ſiniſtra manu, quàm in dextra, ad aliquod opus faciendum?

Reſpondetur, quia in illis cor non influere facit dextro lateri colorem, ſed plus ſiniſtro, & etiam operatur in ſiniſtra manu ſubtilitatem & gracilitatem.

DE UNGUIBUS.

QUæritur, unde generantur ungues?

Reſpondetur ſecundum Galenum in commentariis. Prognoſtico

rum

rum, quod ex fumoſitatibus reſolutis ingredientibus extremitates digitorum, quæ aere exteriori exſiccantur, & in cornu reducuntur.

Quare ungues ſenum nigreſcunt, & palleſcunt?

Reſpondetur, quia tandem calor cordis deficit, quo deficiente ipſorum pulchritudo deficit.

Quare homines judicantur bonæ complexionis vel malæ, ſecundum diſpoſitionem unguium.

Reſpondetur, qui ungues teſtantur de bonitate vel malitia cordis, ergo etiam complexionis. Quia ſi ſunt rubei, teſtantur choleram bene temperatam: ſed ſi aliquo modo ſunt inclinati cum rubeo colore ad nigredinem, teſtantur ſanguineam complexionem: ſed ſi ſunt crocei coloris vel nigri, teſtantur melancholiam.

Quare aliquando maculæ albæ apparent, ſive generantur in unguibus?

Reſpondetur, quod nutrimenta unguium ſunt diverſa reddita, quia aliqua pars phlegmatis eſt admixta, ergo ex tali phlegmate macula iſta cauſatur.

Quare omne animal gradiens pedibus habet ungues, vel ungulas, vel aliquid proportionabile eis, ut patet in aviculis ſolùm curvos ungues habentibus, & in equis, quorum pedes ſubferrantur, & in alia regula ſecundum Ariſtotelem, quæ eſt vera, exceptis natantibus, ut

pa-

patet in anſere, vel in anate, quæ carent hujuſmodi unguibus: quia naturaliter ungues ſunt graves, & ſic impedirent natationem. Et reſponſio ſic poteſt elici ex dictis.

DE PECTORE.

QUare pectus eſt concavum?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, quia ibi eſt ſedes ſpiritualium membrorum, quæ membra ſunt nobiliſſima, ut cor & pulmo, ut ergo iſta cuſtodiantur à læſione, neceſſarium eſt, ut pectus ſit concavum.

Quare homo inter omnia animalia habet latiſſimum pectus, ut dicit Ariſtoteles?

Reſpondetur, quod ſpiritus in homine ſunt debiliores & ſubtiliores, ergo requirunt regionem ampliorem, in qua poſſunt contineri, ut eſt pectus.

Quare pectora avicularum ſunt rotunda & acuta?

Reſpondetur, quia ſunt in continuo motu. Modò figura acuta & orbicularis motui eſt apta, ut patet quarto Phyſicorum.

Quare ea, quæ diligimus, trahimus ad pectus?

Reſpondetur, quod prior locus cordis eſt ſub pectore. Ergo illa, quæ cor amat, ad pectus trahit, propter vicinitatem cordis, applicando amatum amanti.

Quare mulieres ſunt brevioris pectoris quàm viri?

Reſpondetur, quia in viris eſt caliditas, quæ

natu-

naturaliter ſurſum movetur, ſuperiora viri incraſſando, & ea ampliando. Ergo magnum pectus eſt animoſitatis, ut patet per Ariſtotelem in Phyſiognomia, ubi declarat hoc de Leone & tauro. Sed in mulieribus frigiditas dominatur, quæ naturaliter movetur deorſum. Et ergo dicit Ariſtoteles, quod mulieres frequenter cadunt ſupra culum, quia poſteriora earum ingroſſantur ex frigiditate dēſcendēte.

Sed vir frequenter cadit ſupra pectus propter ejus craſſitiem.

DE MAMMILLIS.

Quare mammillæ ſunt poſitæ ſupra pectus?

Reſpondetur, quòd pectus ſedes eſt cordis calidiſſimi, ergo ibi mammillæ generantur, ut menſtruum ad eas miſſum, calori cordis vicinum citiùs decoqueretur, & in materiam lactis converteretur.

Quare in aliis animalibus mammilæ ſunt infra pectus, ſed muliere ſunt ſupra pectus?

Reſpondetur, quia mulier eſt bipes: ergo mammillæ exiſtentes infra pectus, impedirent ejus tranſitum: ſed alia animalia quatuor habent pedes, ergo ipſa non impediuntur in eorum tranſitu, vel motu progreſſivo.

Quare viri non habent tam magnas mammillas ſicut mulieres?

Reſpondetur, quia viris non generantur menſtrua, nec ideo vas menſtruo deputatum. Tamen dicit Ariſtoteles, viri habent par-

vas

vas mammillas, & mulieres parvos teſticulos.

Quæritur, quæ mammillæ ſunt magis valentes pueris lactantibus, an parvę, vel magnæ, ſeu mediocres?

Reſpondetur, quod in magnis calor eſt diffuſus, & diſperſus, & ergo ibi non eſt bona digeſtio lactis, ſed in parvis eſt unitus & fortis, cùm omnis virtus unita eſt fortior ſeipſa diſperſa, & per conſequens, ibi eſt bona digeſtio lactis. Ergo parvę ſunt meliores quam magnę: mediocres autem ſunt optimæ. Ex quo omne medium eſt optimum.

Quare tredecimo & decimo quarto anno mammillæ juvencularum incipiunt creſcere & ingroſſari, ut dicit Albertus?

Reſpondetur per Ariſtotelem de generatione Animalium, quod ideo, quia tunc puella efficitur pubes, & menſtrua incipiunt augeri in ea & fluere, ut dicit Ariſtoteles, quia in eadem ætate puellarum creſcunt mammillæ & virorum ſperma.

Quaræ mammillæ mulierum generantium abortum, id eſt, puerum, qui egreditur mortuo ex utæro matris, ut dicit Hippocrates in ſecunda particula Aphoriſmorum, molleſcunt?

Reſpondetur ſecundum Gloſſam ibidem, quia tunc menſtruum non fluit ad mammillas, à quo fœtus deberet nutriri, ergo tunc molleſcunt.

Quare mulier imprægnata, concipiens maſculum in utero, dextram mammillam habet duriorem, quàm ſiniſtram?

Reſpondetur ſecundum Hippocratem, quia maſ-

maſculi concipiuntur in dextro latere matris. Ergo tunc menſtruum fluit ad dextram mammillam, ipſam indurando:

Quare mulieris imprægnantis lac fluens de mammillis, ſignificat debilitatem fœtus?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, quia lac eſt proprium nutrimentum fœtus in utero, Et ergo qnando lac fluit, ſignum eſt quod fœtus non nutritur, & ex hoc utique debilitatur.

Quare dura mammilla indicat ſanitatem in puero exiſtente in utero?

Reſpondetur, quia menſtruum convertitur in lac, & tale lac ſufficienter nutrit fœtum, & ex hoc arguitur ejus fortitudo.

Quare mulier habet tantùm duas mammillas, & aliqua bruta, ut porca, & canicula, habent decem vel plures.

Reſpondetur, quia frequenter mulier concipit maſculum unum, vel fœmellam, & huic ſufficit una mammilla, vel duæ. Sed alia bruta habent multas ſciſſuras, procreantes multos fœtus. Ergo habent mammillas, primo ſcilet fœtui primam, ſecundo ſecundam, & ſic de aliis per ordinem.

Quare tempore imprægnationis mammillę ſunt duræ, & alio tempore ſunt molles?

Reſpondetur, quia tunc inflantur & tumeſcunt ſicut uterus, quia multa humiditas menſtrualis fluit ad eas, quæ alio tempore manet in matrice, & expellitur per locum deputatum.

Quæritur, per quem modum lac mammillarum venit ad matricem?

Reſ-

Reſpondetur ſecundum Hippocratem, ut ſuprà, quod mammilla habet colligantiam, cùm matrice, & quaſdam venas, quas abſcindunt obſtetrices tempore partus, & per illas lac fluit ad umbilicum puerorum, & capiunt nutrimentum per umbilicum. Unde aliqui dicunt, quod puer exiſtens in utero nutritur per os, ſed hoc falſum, quia tunc ſtercora emitteret, etiam, ſed hoc eſt falſum, quia non videtur ubi dimittuntur illa ſtercora.

Quare lac egrediens de mammillis ſpiſſum & craſſum, & non multum & fluidum, eſt ſignum maſculi in utero, ſed lac tenue eſt fœmellæ?

Reſpondetur, quia mulier geſtans maſculum, eſt fortioris caloris, qui digerit ipſum lac inſpiſſando. Sed in mulieribus habentibus fœmellam non eſt tantus calor, ergo manet indigeſtum, & aquoſum, & fluidum ſupernatans, ſi ponatur in aqua.

Quare lac ſit album, cùm tamen menſtruum ſit rubeum, ex quo generatur?

Reſpondetur, quia ſanguis non benè decoctùs recipit formam album, ut patet de carne, cujus proprius color eſt albus

Aliter reſpòndetur, quia quilibet humor, qui in tali membro generatur, alicui membro aſſimilatur in calore, in quantum poteſt. Sed quia caro mammillarum eſt alba, ergo & humor lactis eſt albus.

Quare vacca dat copiosè lac, præ aliis animalibus?

Reſpondetur, quia vacca eſt animal mul-

tùm

tùm vorax. Et ubi multum generatur de menſtruo, quia non eſt aliud niſi menſtruum decoctum & dealbatum, ergo etiam in ea multum generatur de lacte.

Quare lac non ſit ſanum? ut dicit Hippocrates, ſecundâ particula Aphoriſmorum?

Reſpondetur ſecundum Gloſſam ibidem, quod propter multas cauſas non eſt ſanum: Prima, quia quandoq; coagulatur in ſtomacho, ex quo ulterius malus anhelitus generatur. Sed Hippocrates ponit remedium in loco allegato, dicens: Si tertia pars aquæ admiſceatur lacti, tunc non eſt nocivum, & hoc intelligitur de aqua fluviali. Alia cauſa, quia lac aliquando in ſtomacho aceſcit, & excoquitur, & iterum ex eo generantur mali humores, inficientes anhelitum.

Quare lac præſertim dolentibus caput non valet?

Reſpondetur ſecundum Hippocratem, ubi ſuprâ, & ſecundum Gloſſam ibidem; quia lac citù tranſit in multam fumoſitatem, & multum habet de materia terreſtri, quæ fumoſitas aſcendes ipſum facit dolere.

Quare lac eſt conveniens nutrimentum infantibus & pueris?

Reſpondetur, quia eſt naturalis eorum cibus & conſuetus, quia etiam in utero nutriebantur tali cibo, ergo eſt eis conveniens.

Quare lacticinium tempore partus vaccarum ſit bonum?

Reſpondetur, quia tunc lac eſt multum ſpongioſum. Ergo tempore illo multas fumoſi-

tates expellit, & quodammodo eſt purgatio illo tempore.

Quare lac in mulieribus coeuntibus deſtruit puerum lactantem?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, in libris de Animalibus: quia tempore coitus, ſubtilior & melior pars lactis vadit ad vaſa ſeminalia, & ad matricem, & pejor pars manet in mammillis, quæ deſtruit puerum.

Quare lac mulierum fuſcatum ſit melius, quàm albatum?

Reſpondetur, quia fuſcæ mulieres ſunt calidiores aliis, & quia calor digerit nutrimentum ſufficienter, & ſic lac melius fit.

Quare in eadem menſa ſimul comedere lac & piſces ſit prohibitum à medicis?

Reſpondetur, quia maximè diſponunt ad lepram; quia ambo ſunt phlegmaticæ naturæ, tàm lac quàm piſces.

Quare aviculæ non habent lac atque mammillas?

Reſpondetur, quia mammillæ impedirent eis volatum. Etiam piſces non habent mammillas vel lac, quia ipſi emittunt lactes, ut dicit Ariſtoteles in libro de generatione animalium. Quia fœmella emittit polygranum, & maſculo ſuper addit lactes, ſic eorum ſpecies æternæ fiunt per ſucceſſionem individuorum.

DE DORSIS.

QUare animalia habent dorſa?

Reſpondetur per Ariſtotelem, propter tres cauſas. Prima, ut dorſum eſſet via nervorum, à ſpina dorſi extenſorum per totum corpus, ut patet ſufficienter in ſuſpenſis, quia quando ſunt lacerati, tunc adhuc nervi dependent in ſpina dorſi. Secunda cauſa eſt, ut eſſet cuſtodia membrorum mollium in corpore exiſtentium, ut ſtomachi, hepatis, pulmonis, & ſic de aliis. Tertia cauſa eſt, ut eſſet fundamentum omnium oſſium, quia videmus, quod alia oſſa, ut coſtæ, figurantur in ſpina dorſi.

Quare homo inter omnia animalia, habet dorſum latum, ita, quod nullum animal præter hominem; poteſt convenienter jacere in dorſo?

Reſpondetur, quia pectori lato reſpondet dorſum latum. Si ergo homo haberet dorſum acutum, ſicut alia animalia, illa eſſet indecens & inepta diſpoſitio. Ergo requiritur, quod habet dorſum latum.

Quare homo jacens in dorſo, habet horribiles viſiones?

Reſpondetur, quia tunc meatus, ſeu nervus phantaſiæ eſt apertus, quia eſt in anteriori parte cerebri, & ergo tunc phantaſia corrumpitur.

Vel alia ratio eſt, quia homo jacens in dorſo, habet ſe ita, quod humores perturbantur, &

moventur ſurſum, ubi eſt phantaſia: & ergo phantaſia perturbatur.

Quare malum eſt jacere in dorſo?

Reſpondetur ſecundum medicos, quia hoc diſponit ad lepram, epilepſiam, maniam, & ad incubum. Ubi nota, quod mania eſt infectio anterioris partis cerebri, cum privatione imaginationis. Sed incubus in propoſito, eſt paſſio cordis, cùm aliquis ſe in ſomno ſuffocari putat, & putat aliquid jacere ſuper ipſum, quod libenter removeret.

Quare ſpina dorſi habet multos articulos, & multa membra, quæ apud medicos ſpondalia dicuntur?

Reſpondetur, quod propter flexibilitatem, ipſius dorſi, ſine illis articulis flexiones fieri non poſſent, neque motus, ut patet per Ariſtotelem in libris de motibus animalium. Ergo dicentes, quod elephas non habet membra, dicunt malè, quia non poſſet ſe movere.

Quare ſpinâ dorſi in piſcibus fractâ piſces citò moriuntur?

Reſpondetur, quia ſpina dorſi in piſcibus eſt loco cordis: Modò cor eſt primum vivens, & ultimum moriens, ut patet in libro de Longitudine & Brevitate vitæ. Ergo læsâ ſpinâ dorſi, piſces diutius vivere non poſſunt.

DE MEDULLA.

QUare læsâ medullâ, homo facilè moritur?

Reſpondetur, quia medulla venit à cerebro

rebro, quod eſt unum membrum principale, ut patet in duobus. Primò, quia medulla, ſeu nucha eſt alba, ſicut cerebrum. Secundò, quia aliæ medullæ non habent cutem, neque pelliculam: Sed nucha habet duplicem pelliculam, ſicut cerebrum, ſcilicet piam matrem & duram matrem. Et etiam circa ſpinam dorſi ſunt quinque venę, quæ ſecundum medicos dicuntur Hæmorrhoides, ab Hæma Græcè, quod eſt ſanguis Latinè. Ideo modicum videndum eſt de venis Hæmorrhoidum.

DE FLUXU HÆMORRHOIDUM.

QUare aliqui viri patiuntur fluxum Hæmorrhoidum?

Reſpondetur, quòd ſunt melancholici. Ergo multum generatur in eis melancholia, quia frigidi ſunt, quæ primò mittitur ad ſplenem, ſcilicet ad propriam ſedem melancholię, & ibi propter ſanguinis multitudinem retineri non poteſt. Ergo mittitur ad ſpinam dorſi, ubi ſunt aliquæ venę, quæ terminantur in dorſo, & in colle. Et quando illæ venæ valdè replentur ſanguine melancholico, tunc aperiuntur vitæ Naturæ, & exit ille ſanguis ſemel in menſe, ut menſtruę mulieris. Et tales viri per talem fluxum præſervantur magis ab infirmitatibus, ſcilicet ab hydropoſi, peſte, & cæteris.

Quæritur, quare Judæi in differenter patiuntur talem fluxum?

Reſpondetur Theologicè, quia ipſi tempo-

re Paſſionis Chriſti clamaverunt: Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Ergo dicitur in Pſalmo: Percuſſit eos Deus in poſteriora dorſi.

Aliter reſpondetur, magis naturaliter, quia Judæi, veſcuntur cibariis phlegmaticis, & frigidis, ex quibus cibariis generatur ſanguis melancholicus, qui per fluxum hæmorrhoidum expurgatur. Alia ratio naturalis eſt: quia dicit Ariſtoteles in libro de Cœlo & Mundo; Quod motus facit calorem, & calor digeſtionem, ut patet quarto Meteororum. Sed Judæi non ſunt in continuo motu & labore, nec in converſatione hominum. Etiam ideo, quia ſunt in magno timore, quia timent nos ulciſci Paſſionem noſtri Salvatoris. Et hæc in eis frigiditatem faciunt & impediunt digeſtionem, & ergo iterum in eis generatur multus ſanguis melancholicus qui in ipſis tunc tempore menſtrui expurgatur.

DE CORDE.

Quæritur, quare cor & pulmo dicuntur membra ſpiritalia?

Reſpondetur uno modo, quòd à ſpiritu, quia ſpiritus vitalis in corde generatur. Sed illa reſponſio non videtur valere, quia ſic hepar & cerebrum, erunt membra ſpiritalia, quod eſt falſum: quia hepar eſt membrum nutritivum, ſed cerebrum animativum. Sed tamen conſequentia patet, quia ſpiritus vitalis generatur in hepate, & ſpiritus animalis in cerebro.

rebro. Et ergo reſpondetur, quod cor & pulmo ideo dicuntur membra ſpiritalia, quia in eis recipitur ſpiritus & aer. Vel dicuntur ſpiritalia propter eorum impoſſibilitatem, reſpectu aliorum membrorum. Ergo ipſa per ipſam pelliculam diverſa ſunt ab aliis membris nutritivis, ut à ſtomacho.

Quæritur, quare pulmo ſit ita rarus, & ſpongioſus?

Reſpondetur, ut ibi aer melius poſſit recipi, pro cordis refrigerio, & expulſione ſuperfluarum fumoſitatum: quia ſecundum Ariſtotelem in libro de inſpiratione & reſpiratione, Pulmo eſt flabellum cordis, ſeu ventilabrum. Et ſicut follis, inſpirando inflatur, & expirando comprimitur & contrahitur; ſic ſimili modo pulmo inſpirat aerem, dando refrigerium cordi, & inſpirat, ne cor ſuffocetur per nimiam caliditatem aëris inſpirati.

Quęritur, quare caro pulmonis ſit alba?

Reſpondetur, quod propter eandem cauſam, quia eſt in continuo motu.

Etiam ſolet quæri, quare ſola animalia habentia cor, habent pulmonem, & non alia?

Reſpondetur, quia pulmo non eſt membrum propter ſe, ſed propter aliud, ſcilicet propter cor. Ergo ſi animal corde carens haberet pulmonem, tunc ſuperfluè & fruſtra eſſet: modò natura non permittit hoc. Quia natura non deficit in neceſſariis, nec abundat ſuperfluis.

Quare animalia non habentia pulmonem, carent veſica? ut dicit Ariſtoteles.

Reſpondetur, quia talia non recipiunt aquam po-

potabilem, ut potum ſuum & cibum faciant fervere, ſed propter temperamentum cibi, ergo carent veſica, & etiam urina. Ut patet in aviculis, quarum quædam ſimpliciter non bibunt, ut falco, niſus, accipiter.

Quare cor ſit in medio animalis?

Reſpondetur, quod ideo, ut aliquo modo omnibus membris influere faciat vitam, & ergo comparatur Soli, qui eſt ſitus in medio Planetarum, ut aliis Planetis in fluere faciat lumen. Et ergo Pythagorici dicentes, Cœlum eſſe magnum animal, dixerunt Solem eſſe cor illius animalis.

Quare in ſolo homine cor collocatur in ſiniſtro latere?

Reſpondetur, ut calor cordis temperet frigiditatem ſplenis. Nam ſplen eſt ſedes melancholiæ, quæ etiam in ſiniſtro latere collocatur.

Quare inter omnia membra cor primò generatur? ut dicit Ariſtoteles, quod cor eſt primum vivens, & ultimum moriens.

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem in libro de Juventute & Senectute, quia cor eſt principium & origo vitæ, & omnium membrorum, & ſine illo nullum membrum vivere poteſt. Nota ſecundum Phyſicos, de ſemine in matrice retento, primò generatur quædam pellicula, circundans ipſum ſemen, poſt hoc generatur typus formativus, qui ex ſubtiliore ſanguine primo facit cor, & de ſanguine minus ſubtili ſucceſſivè facit hepar, & de ſanguine craſſo & frigido facit medullam & cerebrum.

Quare animalia parvi cordis ſunt audaciora?

ciora? Ut Leo, qui eſt animal valdè ferox & audax.

Reſpondetur, quod in parvo corde animalis calor eſt benè adunatus & vehemens, & ſanguis adveniens in tangendo ipſum citiùs calefit, & ad alia membra movetur ſpiritu calefactivo mediante, quæ audaciam eis tribuit.

Quare animalia magni cordis ſunt valdè timida, ut lepus?

Reſpondetur, quia calor ibi eſt diffuſus & diſperſus, & non poteſt calefacere ſanguinem ad ipſum concurrentem, & ſic timor ibi generatur

Quare in corde magnorum animalium, ut cervorum & hominum ſecundum Albertum eſt quodddam os?

Reſpondetur per Ariſtotelem, quòd ideo, ut ſit fundamentum motus continui ipſius cordis, quia ſecundum eundem in libris de motibus animalium, in quolibet motu eſt quidam fluxus & quies.

Quare cor continuò movetur?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, in libris de Motu cordis, & per Galenum, & Ægidium, quia ipſe ſpiritus generatur, qui eſt ſubtilior aere, qui propter majorem narefactionem, quærit locum ampliorem, replendo concavum ipſius cordis, ex quo ſequitur dilatatio cordis. Et quia cor eſt terreſtre, ergo ceſſante impulſione, partes ejus ceſſant, & tendunt ad centrum. Et MagiſterGalenus ponit experientiam de glande, ſi glans ponatur ad ignem, calor ignis ejus humiditatem reſolvit in fumum, qui eſt major & rarior humiditate, & ergo majo-

rem locum occupat, & ſic non poteſt manere infeſta; ergo ipſam elevat, & facit eam in igne ſaltare, & ſic conformiter eſt de corde. Unde nota, quod cor animalis eſt triangularis figuræ aliquo modo, & partem minorem habet verſus ſiniſtram, partem verò majorem verſus dextram, & in parte minori ſe continuè aperit, & claudit, & ſic eſt in continuo motu. Primus motus apud Medicos vocatur Diaſtole. Sed motus contritionis ſive clauſionis, vocatur Syſtole. Ex quibus duobus motibus fit in toto corpore, quem Medici in venis arteriis ſentiunt.

Quare animantia magni cordis ſunt macra?

Reſpondetur, quia calor naturalis egrediens de corde, conſumit humiditatem aquoſam, quam humiditatem opertet converti in pinguedinem. Et ſanè frequenter mulieres ſunt pinguiores quàm viri, quia habent multum de humido, & ſunt humidioris cordis quàm viri.

Quare caro à corde eſt compacta & ſpiſſa?

Reſpondetur, quia in re denſa & benè compacta calor fortiter recipitur, ut etiam patet in aliis.

Aliter reſpondetur, ut cor ſua caliditate temperet frigiditatem cerebri, ideo eſt compactum.

Quæritur, quare cor eſt calidiſſimum in toto animali?

Reſpondetur, quia ibi eſt materia ſpiſſa & denſa, & benè compacta, & calor fortiter recipitur in eo, ut patet in ſilicibus. Etiam alia

ratio

ratio eſt, quia cor ſua caliditate temperat frigiditatem cerebri.

Quæritur, quare cor eſt principium vitæ?

Reſpondetur, quia in eo generatur ſpiritus vitalis, qui eſt ſedes vitæ. Unde ſecundum Auguſtinum in libro de differentia ſpiritus & animæ, Cor habet duos ventres, ſcilicet dextrum & ſiniſtrum. Dexter enim venter plus habet de ſanguine, quàm de ſpiritu, qui ſpiritus generatur ad vivificandum totum animal.

Quæritur, quare cor ſit rotundum, & habeat figuram pyramidis inſtar?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, quod figura rotunda non habet angulos. Et ideo cor eſt rotundum, ne materia corpori nociva ibidem poſſit retineri.

Aliter reſpondetur ſecundum Ariſtotelem quia figura rotunda eſt motui apta. Et ideo figura rotunda ſecundum Ariſtotelem, metaphoricè Agonia dicitur, ab α quod eſt ſine, & γώνια, angulus, quaſi ſine angulo.

Quæritur, quare in ſolo corde per excellentiam ſit ſanguis?

Reſpondetur, quia ſanguis eſt in eo tanquam in proprio loco, vel tanquam efficiente, quod alii dicunt de hepate. Unde cor à nullo membro recipit ſanguinem, ſed alia membra ab eo

Quæritur, quare aliqua animalia non habent cor?

Reſpondetur, licèt non habeant cor, tamen habent aliquid proportionabile cordi, ut patet de piſcibus & anguillis, qui ſpinas dorſi habent pro corde.

Quęritur, quare ut videmus ſenſu, in brutis animalibus, ut in avibus & pullis capite ab ipſis amputato, cor adhuc pulſat & vivit?

Reſpondetur, quia ſpiritus vitalis diutius manet in eo, quàm in aliis membris, eô, quod cor eſt primum vivens & ultimum moriens, ut dicit Ariſtoteles de Senectute & juventute. Ergo cor pulſat, & plus movetur quàm alia membra.

Quæritur, quare omne animal carens corde vel proportionabili ipſi cordi, caret ſanguine, ut patet in muſcis?

Reſpondetur, quia cor eſt principium ſanguinis, modò dificiente cauſa, deficit effectus.

Quæritur, quare pulſus cordis certiùs judicatur in dextro latere, quàm in ſiniſtro?

Reſpondetur, quia calor cordis ibi facit majorem habilitatem & calorem, & ergo ibi plus ſenitur, quàm in ſiniſtro latere.

Quare calor aliquando è medio deficit, ut patet in caducis?

Reſpondetur ſecundum Conſtantinum, in libro de Stomacho, quod hoc fit ex defectu ſui ipſius, & pellicularum, quibus cooperitur, quibus tunc infectus, cor è medio deficit, & aliquando fit ex infectione membrorum vicinorum. Unde quàndo ex orificio ſtomachi exit humor venenoſus lædit ille cor, & membra ſibi vicina, & tunc illa inducunt à medio defectionem cordis. Notàndum, quod ſecundum Ariſtotelem, Diſpoſitio cordis maximè cognoſcitur per pulſum cordis. Quia pulſus velox, magnus & frequens cognoſcitur, ſive teſtatur

tur de caliditate cordis,& de bona complexione. Et pulſus tardus & debilis teſtatur de frigiditate cordis, & malitia complexionis. Unde mulieres in quantum ſanæ, habent tardiorem & debiliorem pulſum, quàm viri,& hoc etiam patet per alias cauſas,ut infra patebit.

DE STOMACHO.

QUare ſtomachus eſt amplus?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem in lib.de Anim.quia in eo cibus,ut in olla primo decoquitur & digeritur, ut purum ab impuro ſeparetur. Et ergo per multitudinem cibi natura ampliat ſtomachum.

Quare ſtomachus eſt rotundus?

Reſpondetur ſecundum Conſtantinum in lib.de Stomacho, quia ſi haberet angulos,tunc in illis cibus potius maneret, & ſic homo nunquam febribus careret, qui tamen humores elevantur & conſumuntur, & non abſconduntur propter ejus rotunditatem.

Quare caro ſtomachi ſit multum nervoſa,& ſenſibilis?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem & Conſtantinum, quia nervi ſunt dilatabiles & extenſibiles. Et ergo ſtomachus tempore repletionis dilatatur, & tempore famis reſtringitur, ergo naturá ſagax diſponit nervoſum ſtomachum.

Quare ſtomachus digerit?

Reſpondetur, propter calorem in eo exiſtentem, quia calor provenit à membris vicinis, ſcili-

ſcilicet ab hepate & corde; quia videmus in fabrica arte, quod calor ignis ſeparat æruginea, ut ſcoriam à ferro, aurum à cupro, argentum à ſtanno. Sic digeſtione per calorem fit ſeparatio puri ab impuro, & talis digeſtio eſt quadruplex ſecundum medicos,

Quare ſtomachus adjungitur hepati? ut patet ſenſu.

Reſpondetur ſecundum Conſtantinum, ut ſupra, quia hepar eſt valde calidum, ut ergo ſuâ caliditate poſſet juvare ad digeſtionem, igitur circundat ipſum.

Quare communiter patiamur plus frigus poſt prandium quàm ante?

Reſpondetur, quia tunc totus calor vadit ad ſtomachum pro digeſtione facienda & ſic partes exteriores frigeſiunt calore privatæ.

Quare poſt prandium immediatè ſit malum ſtudere?

Reſpondetur, quia cùm calor debet laborare pro imaginatione ſtudii, tunc non laboraret pro cibo digerendo, & ſic cibus permaneret crudus. Ideo ſecundum medicos, homo prius debet ſpaciari poſt prandium ad centum paſſus vel ſecundum aliquos mille.

Quare mulieres & maximè imprægnatæ, primo & tertio menſe habent appetitum inordinatum, ad comedēdum carbones, cineres, &c.

Reſpondetur ſecundum Conſtantinum, ut ſuprà, quia quales ſunt humores in iſto ſtomacho illarum mulierum, talia nutrimenta appetuntur: Et quia in mulieribus imprægnatis ſunt putridi & corrupti humores, replentes

ſto-

ſtomachum, ideo appetunt ſimilia, cùm omne ſimile applaudat ſibi ſimili.

Quare ſtomachus carnes valdè pingues tardè digerit?

Reſpondetur, quia tales carnes natant in ſtomacho. Modò optima digeſtio fit in profundo ſtomachi, ubi carnes pingues non poſſunt venire. Et ergò tales multum ſomnolenti poſt eſum pingujum carnium, quia in eis digeſtio retardatur.

Quare ſtomacho infirmo, omnia alia membra habent in ſe malè, eo ſano melius ſunt ſingula membra diſpoſita?

Reſpondetur ſecundum Conſtantinum in principio ſui libri, quia ſtomachus colligantiam habet cum cerebro, corde & hepatæ, quæ ſunt membra principalia, ergo ipſo dolente, omnia dolent.

Aliter reſpondetur, quia impedita prima digeſtione, aliæ digeſtiones impediuntur. Nam in prima digeſtione principium eſt infirmitatis, ſcilicet in ſtomacho.

Quare juvenes citiùs eſuriunt quàm ſenes?

Reſpondetur ſecundum Hippocratem in prima particula Aphoriſmorum, & Galenum, ibidem in commento, quòd juvenes propter tria cibo indigent, primò propter incrementum, ſecundò propter reſtaurationem vitæ, tertiò propter conſervationem vitæ.

Aliter reſpondetur, quòd juvenes ſunt calidiores ſenibus, eò, quòd juvenes ſunt calidi & ſicci, ut patet ſecundum Ariſtotelem in libro de generatione Animalium. Ergo calor in ju-

veni-

venibus plus digerit, & per conſequens plus appetunt.

Quare medici præcipiunt, quod exiſtente appetitu comedendi, debet quis comedere?

Reſpondetur ſecundum Avicennam, quod tolerare famem, eſt ſtomachum malis humoribus & putridis ad implere, quos attrahit ad ſe loco cibi, ut patet per experientiam, cùm jejunamus nocte, habemus appetitum comedendi, ſed ſequenti die mineme. Ergo eſt ſignum, quòd ſtomachus tunc eſt repletus malis humoribus, & maxime orificium ejus, quæ repletio non eſt vera, ſed mendax eſt: propter hoc, ſumto modico cibo, regreditur ſtatim appetitus. Et ergo dicunt vulgares communi proverbio, quod os eſt impoſtor, quia licèt fuerit corruptum malis humoribus, ſumpto tamen cibo revertitur appetitus.

Quare conſilium medicorum eſt, quod homo debet ſucceſſivè comedere?

Reſpondetur ſecundum Avicennam, quia ſtomachus nimium repletur, & tunc cibus ſuper natabit in eo, quod eſt valdè periculoſum.

Alia cauſa eſt, ſicut ligna multum frigida ſuffocant ignem, & ſic cibaria ſuffocant calorem naturalem. Et ergo optima medicina eſt, uti modeſtia & temperamento in cibo & potu.

Unde verſus:

Eſſe cupis ſanus, ſit tibi parca manus.
Pone gulæ metas, ætas ut ſit tibi longa.

Quare alio eſt alio tempore anni petuntur alia cibaria? Ut in hyeme carnes bovinæ, &

vac-

vaccinæ, & porcinæ, in æſtate appetuntur carnes ſubtiliores, ut vitulinæ, agninæ?

Reſpondetur ideo, quia complexio variatur ſecundum tempus anni, ut patet per Gilbertum in libro ſexto principiorum.

Aliter reſponde & melius, quia hoc fit propter qualitatem ipſorum temporum, quia frigus hyemis facit meliorem digeſtionem, quia ventres calidiores ſunt in hyeme, propter frigus circumſtans, ut dicit Hippocrates in prima particula Aphoriſmorum, & Ariſtoteles in primo Meteorornm.

Quare cibus non debet eſſe nimis calidus, ut piper, zinziber?

Reſpondetur, quia cibus calidus adurit ſanguinem, & diſponit ad lepram. Sic è converſo, cibus frigidus mortificat & congelat ſanguinem. Etiam cibus non debet eſſe nimis acetoſus, quia ille cito inducit ſenectutem. Item cibus non debet eſſe nimis conditus, quia ille adurit interiora, & poſt illum cibum oportet potare multum, ut poſt alia cruda. Item cibus non debet nimis eſſe dulcis, quia dulcedo maximè conſtipat venas.

Quare ſit bona conſuetudo, caſeum comedere poſt prandium, & pira poſt omnia fercula immediatè?

Reſpondetur, quia caſeus ratione terreſtritatis, & craſſiciei tendit ad fundum ſtomachi, & ſic deprimit carnes, & ille cibus digerere non poteſt. Sic etiam dicitur de piris. Notandum de caſeo, quod caſeus recens cæteris laudabilior, ſed caſeus vetus & ſiccus & ſalſus eſt peſſimus,

mus, citò faciens dolorem capitis, & hepatis conſtipationem, & quanto fuerit veterior, tanto & deterior.

Unde verſus,

Caſeus eſt nequam, nam digerit omnia ſe quam.

Quare poſt piſces ſit bonum comedere nuces? ut dicit Metriſta.

Poſt piſces nuces, poſt carnes caſeus adſit.

Reſpondetur, quia piſces ſunt aliquando venenoſi, quia ſunt difficilis digeſtionis, & facilè putreſcunt & corrumpuntur. Et nuces juvant digeſtionem, quia ſunt mediocriter calidæ.

Alia ratio, qui quando ſunt venenoſi, ut dictum eſt, mox nux eſt remedium contra venenum. Ergo piſces temperantur per nuces, & ſic ſanum eſt ſumere nuces poſt piſces. Sed tamen notanda eſt regula de piſcibus, quia piſces debent eſſe de aqua clara & petroſa, & non frigida & lutoſa ac quieta.

Unde verſus.

Hi currant per aquam mundam, claramque, petroſam:
Sint cocti vino piſces, cum petroſelino.

Et talis piſces minus nocent.

Quare novus cibus multum nocet ſtocmacho? ut in feſto Paſchæ multi læduntur ex novo cibo.

Reſpondetur, quia talis cibus nimis avidè comeditur, ergo replet ſtomachum, & ſic ſtomachus difficultet poteſt digerere iſtum cibum & ſic ejus immoderata commeſtione multi moriuntur; quia eſt regula Galeni & Hippocratis,

tis, quod gula interficit plures quàm gladius, ideo ſummoperè valet moderatio cibi & potûs.

Quare ſit malum differre in menſa, & paulatim diverſa cibaria comedere?

Reſpondetur quia quando ultimum apponitur, tunc primum incipit digeri,& ſic partes in digerendo non æquantur, & cibus decoctus corrumpitur: & hoc benè perpendunt Galli, qui ad majus duo vel tria fercula comedunt. Eſt tamen notanda regula de ordine cibariorum, quia ſi plura habentur fercula, quorum quædam ſunt ſubtilia in digeſtione, ſicut caro pullorum hædorum & vitulorum, ova mollia & ſubtilia, & hujuſmodi, tunc illa ſubtilia debent præcedere. Sed craſſa, ut caro cervorum,porcorum,vaccarum, aſſatura porcina vel vaccina, ova dura in patella fricta, debent pòſt comedi. Ratio eſt, quia ſi præponerentur,tunc ipſa citò digeſta impedirent digeſtionem aliorum, & tunc ſubtilia jam digeſta violenter retinerentur, & in ſtomacho corrumperentur, ex quo ſequitur eructatio, nauſea, faſtidium, dolor capitis, dolor ventris, & magna ſitis. Et per conſequens eſt valdè nocivum, in eadem menſa comedere lac, & bibere vinum, quia diſponunt ad lepram.

Quæriur, quid melius eſt ſtomacho, cibus vel potus?

Reſpondetur, quòd potus citiùs digeritur quàm cibus, quia cibus eſt magis materialis quàm potus. Ergo cibus difficilius digeritur.

Quare bonum eſt potare in prandio?

Reſ-

Reſpondetur, ut potus temperet cibum, & reddat eum aptum digeſtioni, quia olla repleta carnibus aut piſcibus, ſi non habeat humiditatem, tunc ſequitur illius pulmenti & ollæ deſtructio. Et ſtomachus habet ſe ut olla decoquens cibum. Ergo à medicis eſt conſultum, inter prandia potare.

Quare bonum ſit cænam dimittere ſerotinam?

Reſpondetur, quod ideo, quia poſt cænam non ſequitur motus: ſic cibus non intrat profundum ſtomachi, ſed remanet indigeſtus, & ſic inducit nocumenta. Et ergò bonum eſt cœnam eſſe brevem, & modicam.

Unde verſus.

Cœna levis, cænaq; brevis tibi ſit: quia magna.
Cœna nocet, medicina docet, res eſt manifeſta.
Ex magna cœna ſtomacho ſit maxima pœna.
Ut ſis nocte levis, ſit tibi cœna brevis.

Quare ſtomacho jejuno vinum bibere valdè ſit inſanum?

Reſpondètur ſecundum Avicennam, quòd talis ſobria potatio vini dat magnum periculum in cerebro, & quandoque inducit morbum caducum, vel apoplexiam.

Quare aquam frigidam multùm bibere eſt periculoſum?

Reſpondetur, quòd unum contrariorum expellit? & impedit reliquum, ut patet per Ariſtotelem primo de generatione. Sed quia aqua eſt ſummè frigida, ergo veniens ad ſtomachum impedit digeſtionem, & calorem digerentem.

Quare

Quare bibere de novo muſto ſit valdè periculoſum ipſi ſtomacho?

Reſpondetur, quia eſt indigeſtibile. Ergo multum inflat ventrem, & ſic aliquo modo provocat dyſenteriam, id eſt, fluxum ventris ſanguineum.

Unde verſus.

Impedit urinam muſtum, ſolvit citò ventrem.

Sed de vino bono bibere, eſt conveniens,

Unde Verſus.

Vinum ſit clarum, vetus, ſubtile, maturam.
Ac benè lymphatũ, ſolvens moderãine ſumptũ.

Quare ſtatim poſt prandium laborare ſit prohibitum à medicis? juxta hunc verſum.

Poſt menſam pauſa, nec eas, nec ſtes ſine cauſa.

Reſpondetur, quod hujuſmodi triplex eſt ratio. Prima eſt, quia motus poſt prandium ledit virtutem digeſtivam, & ſic cibus indigeſtus depellitur. Secunda eſt, quia motus poſt prandium facit, ut membra crudum attrahant cibum, quod ſtatim cauſa ægritudinis. Tertia eſt, quia motus facit cibum deſcendere, antequam digeritur, & ſi homo inciperet ambulare poſt prandium, tunc motus paulatim incipiet. Sed poſt cœnam motus eſt bonus, quia poſt cœnam citò conſequitur ſomnus: Ergo parum eſt ſpaciandum, ut per hoc cibus intret profundum ſtomachi.

Quare de mane ante prandium ſit bonum ſpaciari?

Reſpondetur, quod talis motus det membra commoda, & congrua ipſi facienti, quia calorem naturalem fortificat, & facit deſcende-

re

re ſuperfluitates ſtomachi. Et ergo dicit Avicenna, quod dimittentes excercitium & motum incurrunt hecticam. Et ille motus patet in his verſibus:

Ante cibum perge, motus primus moderatus,
Poſt cœnam ſtabis, aut paſſus mille meabis.

Quare ſecundum doctrinam Avicennæ & Hippocratis, vomere ſit valdè ſanum?

Reſpondetur ſecundum eos, quia purgat ſtomachum ab omni humore nocivo, nam ibi expellitur materia paſſiva, ſcilicet glauca vel viridis, quæ ſi in ſtomacho maneret, febrilia induceret. Etiam ſecundum Avicennam, Vomitus purgat oculos, purgat caput, & mundificat cerebrum.

Quare ſomnus valdè fortificat ſtomachum & virtutem digeſtivam?

Reſpondetur, quia in ſommo vadit calor naturalis interius digeſtionem confortando. Sed calor in vigilia manet circa locum ſuum, & in toto corpore diſperſus.

Quare homo patitur infirmitates, ut cibus & potus à ſtomacho receptus in eadem qualitate & quantitate per inferiora expellantur?

Reſpondetur, quod hoc eſt propter debilitatem virtutis naturalis, ſcilicet appetitivæ, vel attractivæ, digeſtivæ, retentivæ, & expulſivæ, quæ infirmitas lyenteria vocatur.

Nota differentiam inter lyenteriam, diariam, & dyſenteriam.

Unde verſus:

Cruda lyen, ſimplex dein, ſed ſanguine dyſen.

D E

DE SANGVINE.

QUare omne animal habens ſanguinem, neceſſe eſt habere hepar?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, quòd ſanguis primò generatur in hepate, eò quod hepar eſt ſedes ſanguinis, ſecundum aliquos medicos, & attrahitur à ſtomacho per quaſdam venas principales, à quo generatur talis ſanguis.

Quare ſanguis ſit rubeus?

Reſpondetur, quia aſſimilatur membro, in quo generatur, ſcilicet hepati, quod eſt rubei coloris. Etiam ſanguis eſt dulcis, quia benè digeſtus & coctus, & parum de terreſtritate ſanguini admiſtum, cauſa eſt ſalſedinis in eo, ut patet per Philoſophum in libris Meteororum.

Quare mulieres habent ſpiſſiorem ſanguinem, quàm viri?

Reſpondetur, quod propter frigiditatem inſpiſſantem. Frigiditas ex illa natura compenſat, coagulat, conſtringit, vel congelat, ut patet in libris Meteororum.

Quare ſanguis venit ad totum corpus ab hehepate, & per quem modum?

Reſpondetur, quòd per venas principales, ut patet per hepaticam, cephalicam, medianam per venas capitales de quibus patet in libro Aphoriſmorum.

DE URINA.

QUæritur, quomodo urina venit ad veſicam, cum tamen veſica ſit clauſa?

Alii dicunt, quòd ſudando; & videtur eſſe verum, quùm urina non ſit mortificativa, ut patet per Ægidium. Ergo aliter reſpondetur, ſcilicet, quod ſemipellicula, quæ eſt in veſica, aperitur, & per eam intrat urina, & quia illa pellicula eſt duplicata, ideò è converſo clauditur. Et dicit Theophilactus: Urina eſt nuncius non fallax, quia teſtatur de ſanitate & ægritudine animalis. Ut dicit Hippocrates in libro Aphoriſmorum, quòd homines habent manè urinam albam, & ante prandium rubeam, & poſt prandium candidam, & ſimiliter poſt cœnam. Et ſunt multi colores urinæ, de quibus nihil ad præſens.

Quare hydropiſis venit ab hepate?

Reſpondetur ſecundum Conſtantinum, quod virtus digeſtiva in hepate, non poteſt materiam craſſam convertere in quatuor humores, ſed convertitur ſolùm in aquam, quæ tumeſcit, & inflat hominem, & maxime ventrem.

DE FELLE.

QUare animalia habent fel?

Reſpondetur, quòd ibi recipitur humor cholericus, qui ſuo acumine multùm juvat

viſcera, ad expellendum ſuperflua; etiam juvat ipſum ſtomachum in digerendo.

Quare icterícia venit à felle?

Reſpondetur, quia humor fellis eſt glauceus & croceus: Igitur cùm pori fellis obſtruuntur, tunc ille humor non poteſt intrare ſacculum, fellis, ſed miſcetur cum ſanguine, vadens per totum corpus inficiendo cutem.

Quare equus, muli, aſinus & corvus non habent fel?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem in libi de Animalibus, quamvis illa animalia ſic dicta, non habent fel in ſacculo, habent tamen fel diſperſum per parvas venas.

DE SPLENE.

QUare ſplen eſt caro nigra? ut patet ſenſu.

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem in loco prius allegato, quòd ſplen cauſatur ex materia terreſtri, id eſt, ex materia nigra. Modò effectus aſſimilatur ſuæ cauſæ.

Aliter reſpondetur ſecundum Medicos, quia ſplen eſt reſervaculum melancholiæ. Modò melancholia eſt nigra colera.

Quare homo habens magnum ſplenem ſit macer?

Reſpondetur, quia ſplen multùm trahit ad ſe materiam, quæ debet tranſire in pinguedinem. Et ergo per oppoſitum, homines parvi ſplenis pingues efficiuntur.

Quare ſplen facit ridere? Ut dicit Iſidorus:

Splene ridemus, felle iraſcimur, corde ſapimus, jecore amamus, & cerebro ſentimus, ut etiam tangit Eberdus capitulo de Verbis: Cor ſapit, & pulmo loquitur, fel commovet iram, ſplen ridere facit, cogit amare jecur.

Reſpondetur valdè naturaliter, quia ſplen attrahit ad ſe melancholiam, eò, quòd eſt proprius locus ejus, quæ melancholia eſt cauſa triſtitiæ, & illa ibi conſumitur, & ſic deficiente cauſa deficit & effectus. Quod autem melancholia eſt cauſa triſtitiæ, patet per Ariſtotelem in prœmio de Anima, & ergo illa conſumpta, ſequitur oppoſitum triſtitiæ, ſcilicet gaudium. Et eadem de cauſa fel facit iraſci, quia cholerici ſunt iracundi, quia multum habēt de humore fellis. Et nota, pro dilucido intellectu illorum, quatuor humores ſunt in homine, ſcilicet ſanguis, cholera, phlegma, & melancholia, quorum quilibet habet ſpeciale reſervaculum & membrum ſpeciale, in quo reſervatur & conſervatur. Unde ex parte materiæ ſiccæ & calidæ generatur cholera, quæ vadit ad fel, ubi habet locum in quodem ſacculo. Sed ex parte materiæ frigidæ & ſiccæ generatur melancholia, quæ vadit ad ſplenem, tanquam ad ſuum receptaculum, ſecundum Medicos. Sed ex parte materiæ frigidæ & humidæ generatur phlegma, quod vadit ad pulmonem tanquam ad ſuum receptaculum, vel ſecundum Medicos, ad ſplenem. Sed ſanguis, qui eſt nobiliſſimus humor, dicitur generari in hepate, & ibi videtur ſuus proprius locus.

DE COITU.

QUæritur, quare coeunt animalia?

Reſpondetur ſecundum Avicennam ſecundo de Anima, ſuper illam literam. Naturaliſſimum quidem operum in viventibus eſt generare ſibi ſimile in ſpecie, quod fit propter conſervationem ſpeciei; quia ſi coitus non eſſet, omnes ſpecies dudum periiſſent.

Quæritur, quid ſit coitus?

Reſpondetur, quod coitus eſt mutua actio maris & fœminæ, per inſtrumenta ad talem actum deputata, ad ſervandum ſpeciem. Et ideo dicunt Theologi, quod quando coitus non fit propter generationem ſibi ſimilem, tunc eſt maximum peccatum.

Quare coitus temperatus ſit conveniens ſaltem quibus licitum eſt?

Reſpondetur ſecundum Avicennam & Conſtantinum in libro de Coitu, quòd coitus alleviat corpus, & animam exhilarat, caput & ſenſum confortat, aufert multas ægritudines melancholiæ, quia expellit fumum ſpermatis de cerebro, & expellit materiam apoſtematicam. Et ergo ſecundum Avicennam tertio Canonis, ex dimiſſione coitus aliquando cauſatur tenebroſitas oculorum, & vertigo capitis. Unde ſperma viri ultra debitum tempus retentum convertitur in venenum.

Quare diſtemperatus coitus, & nimis aſſiduus, ſit nocivus?

Reſpondetur, quia deſtruis viſum, & cor-

pus exſiccat; quia dicit Ariſtoteles ſecundo de generatione animalium, Luxuria eſt emiſſio puræ humiditatis, & cerebrum conſumit. Et inducit febres acutas, ſecundum *A*vicennam, ut expertum eſt. Et maximè abbreviat vitam ſecundum Ariſtotelem, in libro de Longitudine & Brevitate vitæ. Et hoc declarat *A*lbertus de paſſere, qui propter nimium coitum, tantùm pervenit ad tertium annum.

Quare melancholicis, & cholericis, & in univerſum macris, valdè nocet coitus?

Reſpondetur, quia os multum exſiccat, cùm ex ſe ſint ſicci ipſi, inducit ſiccitatē. Per oppoſitum phlegmaticis & ſanguineis multum prodeſt coitus, ut dicit Avicenna, quia in eis eſt multum de tali materia, quæ neceſſariò à natura expellenda eſt. Quamvis Ariſtoteles dicit, quod omne animal pingue ſit pauci ſpermatis, quia materia tranſit in pinguedinem.

Quare fœmellæ animalium brutorum non appetunt coitum poſt imprægnationem?

Reſpondetur ſecundum Albertum, quia tunc matrix fœminæ eſt clauſa, & menſtrua tunc ſunt retenta. Ergo appetitus circa illa ceſſat.

Quare tunc mulieres, & equa poſt imprægnationem appetunt coitum? ut dicit Ariſtoteles in libris de Animalibus.

Reſpondetur ſecundum Galenum de muliere, quòd recordatio juvat ad coitum. Et quia mulieres recordantur delectationem in coitu præcedenti habitam, & ſic appetunt coitum.

Sed de equa reſpondetur, quia eſt animal multum

multum vorax, quare habet in ſe multas fumoſitates diſtemperatas, ergo appetit aliud ſperma, eò, quod omne ſimile appetit ſuum ſimile.

Quare repleto corpore non eſt coeundum?

Reſpondetur ſecundum *Ariſtotelem*, quia prohibet digeſtionem. Similiter non bonum eſt ventri famelico, quia ille coitus valdè debiliter corpus animalis

Quare non ſit bonum poſt balneum coire?

Reſpondetur, quia tunc pori ſunt aperti, & calor per totum corpus eſt diſperſus. Ergo coitus ſequens balneum, maximè frige facit ipſum corpus.

Quare poſt vomitum & poſt ſolutionum ventris, minimè valet coitus?

Reſpondetur, quia eſt valde periculoſum, facere duas purgationes in uno die, ut dicit Hippocrates & Galenus. Sic eſt de coitu, & ſolutione ventris, cùm renes per coitum purgantur, & inteſtina per vomitum.

Quare animalia agreſtia, in coitu ſunt furibunda? Quod patet in cervis, quia tunc maximè clamant & vociferantur, ut etiam patet de aſinis, quia tunc ſolent inſanire, ut dicit Conſtantinus ex auctoritate Hippocratis.

Reſpondetur, quia tunc membra ſunt maximè incenſa ex appititu Venereo: natura laborat ad expellendum ſuperflua, quę in ſenſu diſponunt ad iram, & ad furorem. Ergo poſt coitum ſunt ſtatim manſueta.

Quare in coitu eſt tanta delectatio?

Reſpond. quia coitus eſt opus deſpectum in

in ſe, & totum malum, & valdè immundum, ita, quòd omnia animalia naturaliter abhorrerent illum actum, Et ſi non fieret tanta delectatio in eo, nunquam fieret actus coitus, quia talis actus immundus eſt, & malitioſus. Et ergo natura in tali delectatione ſic libenter exercetur, ut ſpecies rerum poſſit conſervari.

Quare frequenter coeuntes non habent tantam delectationem, ſicut raró coeuntes?

Reſpondetur, quod fit propter tres rationes. Prima ratio eſt, quia meatus ſeminis eſt nimis largus & amplus, ergo ſemen, non facit ibi moram, ex cujus mora inducitur delectatio. Secunda ratio eſt, quia illis ſemper coeuntibus propter continuum coitum eſt paucitas ſeminis, & ſic iterum non facit delectationem. Tertia ratio eſt, quia in illis aliquando loco ſeminis, emittitur ſanguis crudus & indigeſtus, vel alia materia aquoſa, & quia hæc materia non eſt calida, ergo non facit talem delectationem.

Queritur, utrum coitus poteſt fieri per os, ſcilicet quod animalia concipiant per os? Ut dicunt quidam de columbis, quod oſculando ſe roſtro coeant, & concipiant. Et quidam dicunt, quòd muſtela concipit, & parit per os?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, in libris de Animalibus, quod ille ſermo eſt penitus falſus & fictus, quia licet columbæ roſtris ſe contrectent, tamen ex hoc non concipiunt, nec etiam ſic coeunt. Etiam quia muſtela ſemper portat in ore fœtum ſuum, de loco ad locum, & ergo ipſi putent, quod pariat per os.

Unde

Unde Ariſtoteles ita declarat & arguit: quicquid intrat per os, hoc digerendo conſumitur. Sed ſi ſemina per os intrarent, tunc digerendo conſumerentur. Ergo, &c. Major patet, quia non eſt debilis inſtantia, ſed conſequentia tenet in Darii.

Sed diceret fortè aliquis, tamen beata Virgo concepit per aurem, ſcilicet per verba: Ergo etiam poſſibile eſt, quod aliqua mulier concipiat per os.

Reſpondetur, quod hoc non fuit naturale, ſed ſupra naturam, & miraculosè, & de illa conceptione nihil eſt ad propoſitum. Unde dicit venerabilis Dominus Albertus: Quid mihi de Theologia, cum Phyſicè loquor?

DE SPERMATE.

QUæritur, unde generatur ſemen viri? Reſpondetur, quod de hoc ſunt diverſæ opinionis Medicorum, Philoſophorum & dicunt quidam, quòd ſit humor ſuperfluus quartæ digeſtionis. Et aliqui dicunt, quod ſperma ſit ſanguis purus, à cerebro fuſus, & eſt decoctum, & in teſticulis dealbatum. Sed alii dicunt, quod ſit ſuperfluum ſecundæ & tertiæ digeſtionis. Sed quia ſimilia ſunt ſudor, urina, ſputum, phlegma, colera, ergo Ariſtotel. in libris de generatione animalium dicit, quod ſperma ſemper eſt ſuperfluum ultimi nutrimẽti, ſcil. ſanguinis, per totum corpus diſperſi. Sed tamen præcipuè diffunditur & deciditur à membris principalibus, ſcilicet à corde, hepa-

te, & cerebro. Et hujus ſignum eſt, quia talia membra in digeſtione virtutis ſeminalis maximè debilitantur, & ex illo patet, quod coitus ſit minimè utilis. Sed tamen aliqui aſſerunt, quod prædicta ſunt intelligenda de coitu excellenti, ſed non de moderato. Notandæ ſunt aliquę virtutes, quę lucidè patent in his Metris, de moderato coitu.

Unde verſus:

Alleviat corpus coitus, moderamine factus,
Quibus ſit licitus, quibus non valdè nocivus.

Quare ſemen viri ſit album, cùm tamen ſemen mulieris ſit rubeum?

Reſpondetur, quod in viris eſt album, propter magnam caliditatem, & eſt magis decoctum, in teſticulis dealbatur, quorum caro eſt alba ſicut & caro mammillarum.

Sed ſemen mulieris eſt rubeum, quia eſt ſuperfluum ſecundæ digeſtionis, quæ celebratur in hepate, quia hepar eſt membrum rubeum. Igitur, &c.

Aliter reſpondetur, quia menſtruum eſt ſanguis corruptus & indigeſtus, ergo habet colorem ſanguinis.

Quæritur, utrum ſperma decidatur à membris, vel ab humoribus?

Reſpondetur ſecundum aliquos, quod à membris, ſicut jam dictum eſt. Et hoc ſic probatur, quia ſenſibiliter videmus, quòd claudus generat filium claudum, & pater habens cicatricem generat filium habentem cicatricem, ut dicit Ariſtoteles in libris de Animalibus, & hoc non fieret, ſi non eſſet deciſio à membris.

Sed

Sed tamen alii dicunt, quod deciſio fit ab humoribus, quia fit ab ultimo nutrimenti. Modo nutrimentum non eſt membrum, ſed humor.

Sed ad primam opinionem, de parte truncato reſpondetur, quod Ariſtoteles ſecundo de generatione Animalium vult, quod hoc fiat propter imaginationem matris tēpore coitûs.

Quare imaginatio matris de Æthiope generat filium nigrum; & hoc etiam eſt verum de aliis opinionibus. Unde refert Albertus Magnus, quod quædam regina in coitu imaginabatur Æthiopem prope lectum, depictū imagine magnâ & diſtortâ, & ſic concepit, & peperit filium nigerrimum.

Ad hoc reſpondetur ſecundum Avicennam, quòd imaginatio de caſu facit homines cadere, & de lepra facit hominem leproſum. Sic etiam in propoſito imaginativa eſt ſuperior formativa fœtus. Et tale percipit formale, quale ſcilicet imaginatum eſt.

Quæritur, utrum ſemen viri ingrediatur ſubſtantiam & materiam fœtus?

Reſpondetur, quod utrumque ſemen, tàm patris quàm matris materia, intrat ſubſtantiam embryonis. Quia ut lac coagulatum intrat ſubſtantiam caſei, ita habet ſe ſperma, ut coagulum, & menſtruum plenitudinem habet lactis. Sed illa opinio non videtur valere. Ergo reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, & ſecundum alios Philoſophos, quod ſemen viri non intrat ſubſtantiam fœtus: quod probatur ſic, quia ſic materia & cauſa efficiēs coinciderent, quod eſt contra Philoſophum. Tenet conſe-

quentia, quia ſemen viri non intrat ſubſtantiam fœtus, eò quod eſt principium efficiens ipſius pueri. Sicut domus ſtructor eſt cauſa efficiens & principium ipſius domus. Item alio modo probatur, quia eadem eſt materia nutrimenti & generationis, ſecundo de Anima. Quia ex eiſdem ſumus & nutrimur, ideo ſperma non poteſt eſſe materia nutrimenti, ſecundum Averroëm.

Unde ſecundum rei veritatem reſpondetur, quod ſemina ambo clauduntur in matrice. Sed ſemen viri diſponit ſemen mulieres ad receptionem formæ ſeu animæ, quo facto convertitur in humidum, & exhalatur per poros matricis, quod patet, quia ſolum menſtruum eſt materia fœtûs.

Quare matrix avidè & cupidè attrahit ſemen? Quia ut dicit Averroëm, ſecundum Colligat, capite decimo. Fuit quædam puella in balneo, ubi ſperma jactum fuit, & illa puella ab attractione ſeminis concepit, & peperit.

Reſpondetur ſecundum Averroem, quod matrix & natura ſpecificè attrahit ipſum ſemē, ut magnes ferrum, & agathes chalybem, ſic attrahit ipſum ad ſuam perfectionem propriam.

DE MENSTRVIS.

Quare mulieres habent menſtrua? Reſpondetur ſecundum Medicos, quia ſunt frigidæ reſpectu virorum. Ergo totum nutrimentum non poteſt converti in ejus ſanguinem, ergo magna pars tranſit in men-

ſtruum

ſtruum. Quia in omni menſe à qualibet muliere ejus ætatis & ſanâ expelluntur: quia ante tredecimum annum non fluunt, etiam de ſana. Quia aliquæ mulieres infirmæ non patiuntur menſtrua.

Quare menſtrua fluunt à mulieribus?

Reſpondetur, quia menſtruum eſt materia venenoſa. Nam dicit *A*riſtoteles in generatione *A*nimalium; quod menſtruum recens & fluens ſi tangat arborem, vel ramum arboris virentem, talis arbor decreſcit vel deficit.

Item dicit *A*riſtoteles: Si canis guſtaret de menſtruo, tertia die eſſet rabidus, & ſi muſcæ tangantur ab ipſo, illo die moriuntur. Et ergo natura ſagax omni menſe expelli voluit à mulieribus menſtruum tanquam inimicum vitæ contrarium. Ergo retentum à mulieribus ultra debitum tempus, ſecundum *A*riſtotelem, inducit peſſimas infirmitates, ſcilicet ſyncopen & ecſtaſin.

Quare ante tredecimum annum non fluunt menſtrua.

Reſpondetur, quia juvenculæ ſunt calidæ, ita ſcilicet, quod benè digerunt totum cibum, Ergo menſtruum in eis non generatur ante illud tempus, & per conſequens non expellitur, & hoc eſt verum, niſi bonitas vel malitia complexionis impediat.

Quare mulieres poſt quinquageſimum annum non patiuntur menſtruum? ut patet in Metris.

Adde decem ternis, mulierũ menſtrua cernis,
Ad quinquaginta durat purgatio tota.

Ibi reſpondetur, quod mulieres veteres ſunt ſteriles, ergo non habent menſtrua.

Aliter reſpondetur, & melius, quia tunc natura eſt debilis, & ſic non poteſt ipſum expellere, præ nimia debilitate, ergo generantur in eis maximæ quantitatis immundities, in vana maſſa, & ſic efficiuntur ita immundæ, ut ſuo anhelitu inficiantur homines, & ergo tunc in eis tuſſis abundat, & alia mala. Ergo ſecundum conſilium Medicorum abſtinendum eſt talibus vetulis.

Quæritur, quare mulieres taliter exiſtentes veneno non inficiunt ſemetipſas?

Reſpondetur, quia venenum non agit in ſeipſum, ſed in aliud ſibi objectum.

Aliter reſpondetur, & melius, quia conſuetum eſt mulieribus talem naturam habere, ergo eis non nocet. Refert enim Albertus Magnus de quadam puella, quæ in Colonia ad ipſum ducebatur, comedit omnes araneas, nil ei nocentes, ſed fuerunt ei cibus aptiſſimus. Et dicit Ariſtoteles in libris de Regimine Principum ad Alexandrum regem, & narrat illi de quadam puella, quæ in juventute fuit nutrita veneno. Et hoc dicit Commentator in ſecundo Phyſicorum. Quod quidam homines conſueverant comedere venenum ſic, quod erat ei cibus quotidianus.

Quare mulieres imprægnatæ non patiuntur menſtrua?

Reſpondetur, quia tunc menſtruum tranſit in lac, & in nutrimentum fœtûs. Ergo mulier imprægnata, quoniam patitur menſtruum hoc eſt ſignum abortionis.

Qua-

Quare in tribus primis menſibus menſtruum mulieris imprægnatæ adhuc fluit?

Reſpondetur, propter parvitatem & novitatem pueri, quia adhuc non poteſt ſumere totam materiam menſtrualem.

Quare fœmellę animalium brutorum, ut volucrum & piſcium, non patiuntur menſtrua?

Reſpondetur, per Ariſtotelem & Albertum, quod in brutis greſſibilibus menſtruum tranſit in materiam pilorum: in piſcibus tranſit in ſquamas: & in avibus in plumas. Et ex hoc conſiderandum eſt, hoc eſſe verum, quia inter bruta animalia fœmellę frequenter magis ſunt hirſute, quàm maſculi: & fæmellæ piſcium magis ſunt ſquamoſæ, & fæmellæ avium magis ſunt pennoſæ, &c.

Quare menſtruum recipit nomen à menſe?

Reſpondetur, quia eſt ſpatium temporis menſurandi motum Lunę. Quia Luna motum ſuum perficit in viginti novem diebus, & quatuordecim horis. Modò Luna habet dominium in humidum, ut patet in ſecundo Meteororum. Sed quia menſtruum eſt humidum, ergo capit denominationem à menſe. Nam humidium creſcit Lunâ creſcente, & ipſa deficiente deficit.

Quare quædam mulieres diutius patiuntur talem fluxum, & quædam brevius, quædam per ſex dies, quædam per ſeptem, aliæ verò per tres frequenter in omnibus?

Reſpondetur, quod primæ ſunt frigidiores, ergo plus generatur eis de menſtruo, & per conſequens longiore tempore expellitur, &

aliæ

aliæ ſunt calidiores, ergo minus generatur, & in breviori tempore expelitur.

Quæritur, ubi reſervatur menſtruum ante fluxum?

Dicunt aliqui, quod in matrice, ſed *Averroem* hoc improbat, & dicit, quod matrix eſt locus generationis, ſed tale menſtruum ad generationem nihil facit. Reſpondet ipſe, ſic ut dicebatur de fluxu hæmorrhoidum, ſcilicet quod quædam venæ circa ſpinam dorſi ipſa menſtrua reſervant. Et hujus ſignum eſt, quia mulieres iſtę tempore menſtrui maximum patiuntur dolorem dorſi, propter ejus expulſionem à natura.

Quæritur, utrum menſtruum, quod omni tempore expellitur, & menſtruum, de quo fœtus generatur, ſunt idem?

Reſpondetur, quod non, quia primum eſt impurum, & malè diſpoſitum ad generationem, ſecundum valdè purum & clarum, ergo ſanguis ille eſt aptus generationi.

Quare mulieres imprægnatæ tempore menſtrui generant filios leproſus & imbecilles?

Reſpondetur, quia menſtruum eſt venenoſum, imò venenoſiſſima eſt mulier menſtruoſa, modò, ut patet in libro de cauſis, cauſæ relucent in effectibus: etiam per Philoſophum, Effectus gerit aliquam ſimilitudinem ſuæ cauſæ. Ergo ille natus malè diſponitur.

Quare mulieres non uniformiter, eodem tempore menſis patiuntur menſtrua, quia quædam in novilunio, quædam in plenilunio quædam in defectu Lunæ?

Reſpon-

Reſpondetur, quod propter diverſas complexiones mulierum. Unde licèt omnes mulieres reſpectù virorum ſint phlegmaticæ, tamen mulieres inter ſe ſic habent, quod una eſt magis ſanguinea, alia magis cholerica, & quomodo quælibet lunatio habet quadras, ſic illæ habent quatuor complexiones: prima eſt ſanguinea, ſecunda cholerica, &c. Mulier ſanguinea patitur, in prima quadra: cholerica in ſecunda, melancholica in tertia; & ſic de aliis.

Quare mulieres ſanguineæ patiuntur fluxum menſtrui in prima quadra?

Reſpondetur ſecundum Galenum in libris Aphoriſmorum, & ſecundum Gilbertum in ſex Principiis, quod omne tale additum ſuo tali, facit ipſum magis tale. Ergo prima quadra Lunæ mulieri ſanguineæ augent ſanguinem, ergo tunc ſic expellitur.

Etiam reſpondetur, quod Luna nova recipit juvenes, quia tales ſunt magis ſanguinei quàm ſenes, juxta hunc verſum:

Luna vetus veteres, juvenes nova Luna requirit.

Quare tàm frequenter omnes mulieres in fine menſis patiuntur menſtruum?

Reſpondetur, quia generaliter omnes mulieres ſunt plegmaticæ. Modò ultima quadra eſt phlegma.

Aliter reſpondetur, quod hoc eſt propter defectum, ergo in eis frigiditas operatur ad multiplicandum illam materiam, & materia multiplicata tunc expellitur.

Quæritur, quare in tali fluxu mulieres patiuntur dolores?

Reſpon-

Reſpondetur, quia eſt ſimilis dolori ſtranguriæ, id eſt, projectionis urinæ paulatim & guttatim. Quia ſicut ſtranguria, quæ fit potu indigeſto, vias urinales ſubtiles lædit, ſicut contingit poſt balneum, ſic etiam materia mēſtrualis eſt, quæ terreſtris & indigeſta lædit vias, per quas digeri debet, & tranſit.

Quare poſt fluxum menſtrui mulier facilè concipit.

Reſpondetur, quia tunc melius eſt diſpoſita ad conceptionem, quia eſt mundata à menſtruis, Unde legitur in Exodo, Cum Judæî eſſent in Ægypto, brevi tempore augebantur ſuper Ægyptios. Hujus non fuit alia ratia naturalis, niſi quod viri Judæi non coibant cum mulieribus ſuis, niſi eſſent purificatæ & mundatæ à menſtruo, quia tunc erant aptæ ad concipiendum.

Quare dolor mulierum menſtruoſarum mutatur in pallorem?

Reſpondetur, quia tali tempore calor recedit ab omnibus membris exterioribus, ad membra interiora, ad juvandum naturam, & expellendum menſtrua, quæ privatio caloris facit pallorem in facie.

Aliter reſpondetur, quia menſtrua ſunt crudi humores, ergo fluentibus poſſunt decolorare faciem, & per conſequens, inducunt pallorem.

Quare mulier menſtruoſa abhorret cibum capere?

Reſpondetur, quia natura plus laborat ad expulſionem menſtrui, quàm ad digeſtionem, ergo

ergo ſi caperet cibum, ille maneret crudus, ergo natura ſagax hoc non admittit.

DE STERILITATE.

QUare quædam mulieres ſunt ſteriles, & non concipiunt?

Reſpondetur ſecundum Medicos, quod propter multas cauſas. Prima eſt, quia aliquando ex parte viri eſt defectus, ſcilicet quando vir eſt frigidæ naturæ, quia tunc ſemen eſt ineptum generationi. Secunda cauſa eſt, quia ſemen ejus eſt aliquoties aquoſum, non faciens moram in matrice. Tertia, quia ſemina viris & mulieris non habent eandem proportionem, ut ſi vir eſt melancholicus, & mulier ſanguinea, vel ſi vir eſt cholericus, & mulier maximè phlegmatica: Quia ut patet ex primo de generatione Animalium, & ſecundo de Anima, Agens & patiens debent habere eandem proportionem, alias actio impeditur.

Quare mulieres pingues raro concipiunt?

Reſpondetur, quia habent matricem lubricã, per quam ſemen receptũ labitur, nec retinetur. Aliter reſpondetur, quia tales pingues habent orificia matricum valdè ſtricta, & ita quod ſemen impeditur, & ſi intrat, tunc tardè intrat, ita quod ſemen medio tempore frigeſcit, & ſic non valet ad generationem, ſed in materiam carneam reſolvitur.

Quare mulieres nimis calidæ raro concipiunt?

Reſpondetur, quia ſemen in eis receptum extinguitur, & corrumpitur, ac ſi pauca aqua in mag-

magnum ignem funderetur. Ergo videmus, quod mulieres ferventer appetentes luxuriam & libidinem, rarò concipiant.

Quare mulieres publicæ, ut meretrices, non concipiunt?

Reſpondetur, quod eſt propter diverſa ſemina, ex quibus earum inſtrumenta concipiendi deſtruuntur, & lubrica efficiuntur, ità quod natura ſeminalis non retinetur. Vel etiam, quia unum ſemen deſtruit aliud, ita quod nullum valet ad generationem. Unde verſus:

Impedit & ſemen aliud ſimul & mediante.
Quo impedito, ſequitur deſtructio proli.

Item nota, ut patet per Albertum. Quod ſummum remedium eſt ad conceptionem recipere matricem leporis pulvere ſperſam, & purificatem in potu, quæ à tota natura ſpecifica operatur ad conceptionem.

DE CONCEPTIONE.

QUare quædam mulieres concipunt maſculos?

Reſpond. ſecundum Conſtantinum & Ariſtotelem, Quod ſi ſemen cadat ad dextram partem matricis, tunc generatur maſculus, quia hæc pars calidior & calor ſecundum prædicta operatur ad generationem maſculi. Ergo ſecundum Albertum, Quando dextra pars mulieris maximè tumet, eſt ſignum maſculi in utero, Sed alii aſſignant aliam cauſam, ſcilicet quando ſemen patris habet dominium ſuper ſemen matris, tunc generatur maſculus, ſed quan-

quando è converſo, tunc generatur fœmella.

Quare quædam mulieres concipiunt fœmellas?

Reſpondetur, quia ſemen eſt elapſum ad ſiniſtram partem matricis, quæ eſt frigidior ratione ſplenis adjacentis, quia ſplen cooperatur ad frigiditatem, & illla cauſa fœmellæ. Item, ut dicit Albertus: Quando mulier poſt coitum jacet in dextro latere, concipiet maſculum, ſi autem in ſiniſtro, concipiet fœmellam. Quia ſemina incluſa ad illam partem matricis fluunt, in qua mulier jacet, & tunc talis fœtus illic formatur.

Quare mulier habet matricem?

Reſpondetur ſecundum Averroem in libro, qui dicitur Colligamentum. Quia eſt proprius locus generationis, & illa eſt ſita in medio mulieris. Quia ſicut ad cloacam fluunt omnes immunditiæ civitatis, ita admatricem fluit ſanguis menſtruoſus & immundus.

Quare quædam mulieres portant pueros; longos & graciles, & aliæ portant breves & ſpiſſos?

Reſpondetur ſecundum Averroem, ubi ſuprà, & etiam ſecundum Galenum, quia puer formatur ſecundum quantitatem matricis, Sed quia aliquæ mulieris habent matricem longam & ſtrictam, ergo pueri erunt longi & graciles, ſed aliæ per oppoſitum dicuntur habere matricem oppoſitam, ergo etiam pueri per oppoſitum diſponuntur.

Quare mulier aliquando concipit gemellos?

Reſpondetur ſecundum Galenum, in libro de

de natura humana. Quia in matrice ſunt ſeptem cellulæ, receptacula ſeminis, & tot poſſunt naturaliter generari pueri, in quot cellulas ſemen ceciderit,& diviſum fuerit,quia tres cellulæ ſunt in dextro latere, & in illis generantur tres maſculi, & tres ſunt in ſiniſtro latere, in quibus generantur tres fœmellæ. Sed alia eſt in medio illarum, ubi antiqui authentici dicunt generari Hermaphroditem, id eſt, hominem habentum membrum utriuſque ſexus. Si ergo mulier pareret ultra ſeptum pueros, hoc potius fieret miraculosè quàm naturaliter.

Quare gemelli ſunt ſemihomines, & non ita fortes ſicut alii; dicunt leges, ipſos pro dimidio homine in duellis depugnantes.

Reſpondetur, quia ſemen & materia, quæ deberet tranſire in unum fœtum, cecidit in duos, & ergo debilitantur: & ſecundùm rei veritatem, non diu ſanè frequenter vivunt.

DE HERMAPHRODITIS.

QUæritur, quomodo generantur hermaphroditæ.

Reſpondetur per talem modum, quia in matrice ſunt tres cellulæ principales, una in dextro latere, alia in ſiniſtro, tertia verò in medio,in quam ſemen illapſum,dicitur generare hermaphroditem per talem modum: quia natura ſemper tendit ad melius, Ergo intendit ſemper generare maſculum, & nunquam fœmel-

mellam. Quia fœmella eſt vir occaſionatus, & monſtrum in natura, ut patet in libro de Animalibus. Ergo quandoque generatur maſculus, quo ad omnia membra principalia, ſed tamen propter malam diſpoſitionem matricis & objecti, & ſecundum inæqualitatem ſeminis, cùm non poſſet perficere maſculum perfectum, ſic generat fœmellam, aut hermaphroditem. Et ergo dicunt naturales, quòd hermaphrodites ſit impotens in membro virili, ut patet per experientiam.

Quare natura non diſponit in eo duo membra virilia, vel duo fœminalia, ſed ſemper unum virile, & aliud fœminale?

Reſpondetur, quia natura tunc faceret aliquid fruſtrà, quod eſt contra Ariſtotelem in multis locis, ſcilicet in tertio de Anima, & quarto Metaphyſicorum, ubi dicitur, quod natura nihil facit fruſtà & Deus.

Quæritur, utrum ille ſit habendus pro viro vel muliere?

Reſpondetur, conſideranda eſt quantitas unius membri, per quantitatem alterius membri, & debet conſiderari, in quo membro ſit potens in actu Venereo; & ſi ſecundum actum muliebrem tunc eſt mulier, ſi ſecundum actum virilem, tunc eſt vir.

Quæritur, utrum debet baptizari nomine viri, vel mulieris?

Reſpondetur, quod nomine viri Ratio eſt, quia nomina imponuntur ad placitum, & ſecundum nomen dignius debet baptizari: quia omnis vir dignior eſt muliere, quia omne genus

nus præſtantius eſt ſuo paſſo, ut dicit *A*riſtoteles tertio de *A*nima.

Quæritur, utrum debet ſtare in judicio loco viri & mulieres?

Reſpondetur ſecundum Regulam Juris, quod primò debet jurare, antequam admittatur ad judicium, quo membro poſſit uti, & ſecundum hoc eſt admittendus, juxta uſum & potentiam illius membri. Et ſi uteretur ambobus membris æqualiter, tunc ſecundum ſanctam matrem Eccleſiam eſt tolerandus.

Ex quo etiam quæritur & ſolvitur tale problema, utrum ipſe poſſit promoveri ad ſacros ordines? Et reſpondetur ſecundum jam dicta.

DE MONSTRIS.

QUæritur, an Natura facit monſtra?

Reſpondetur, quod ſic, ut patet ſecundò Phyſicorum, quia ſi non, tunc privaretur ſuo fine. Nam ex poſſibilibus ſemper intendit producere, id quod melius & perfectius eſt: ſed tandem ex mala diſpoſitione materiæ, & influxu conſtellationis ſpecialis non potens eſt perficere, & ſufficienter producere intentum: ergo producit illud quod poteſt. Ut contigit temporibus Alberti, quod in quadam villa vacca peperit vitulum ſemihominem, tunc ruſtici ſuſpicantes de paſtore, ipſi rei cauſam variam impoſuerunt, & tandem ipſum cum vacca volebant cremare. Sed *A*lbertus *A*ſtronomiæ expertus, agnoſcens rei veritatem, ex conſtella-

latione ſpeciali hoc factum eſſe dixit, & paſtorem à manibus eorum redemit.

Hæc ſunt verba Alberti

Videmus, bicorpora eorum in nullo erant conjuncta, niſi dorſo habebant duo capita, quatuor pedes, quatuor manus, & ibant ad quamcunque partem vertebantur. Verba *A*lberti. Vidimus hircum, non habentem alios niſi pedes anteriores, & partem poſteriorem, ſcil. culum trahebat poſt ſe ſuper terram Verba *A*lberti. Narraverunt nobis, quòd duo homines fuerunt in dorſo conjuncti, & erant contrariæ complexionis, & cùm unus fuit furibundus, alter fuit manſuetus, vixerunt per duos annos, & unus prius moriebatur; alter verò tamdiu ſuper vixit, donec ex fœtore infectus moriebatur: quæritur quomodo fiant hæc? Reſpondetur, quod per talem modum, quia ſemen funditur ad cellulas matricis, quod pro generatione duorum ſufficit: tunc forte quandoque contingit, quod interſtitium pellis, medians inter duas cellulas, rumpitur, & in dorſo ramificantur & conjunguntur, habentes duo capita diſtincta.

Quæritur, utrum ſit unus homo vel duo?

Reſpondetur ſecundum *A*riſtotelem, reſpiciendum eſt ad cor, unde quando ſunt duo corda, ſunt duo homines.

Quare aliquando homo generatur cum magno capite, vel cum ſex digitis in una manu, vel cum quatuor?.

Reſpondetur ſecundum *A*lbertum, quod eſt propter ſuperfluitatem & nimiam abundan-

tiam

tiam materiæ. Unde quando materia ſuperfluit, tunc generatur caput nimis magnum vel ſex digiti, vel quatuor pedes, vel aliorum ſuperabundantia membrorum. Sed quando materia deficit, tunc generatur membrum minus, quàm deberet, vel pauciora membra. Et ſic Albertus & Averroem diſtinguunt ſecundo Phyſicorum, quantitatem diſcretam, & continuam.

Quare mulier ſit monſtrum in natura?

Reſpondetur ex ſecundo Phyſicorum, Omne occaſione natum eſt monſtrum. Sed mulier occaſione producta eſt, Ergo, &c. Minor probatur, quod natura nunquam intendit generare fœmellam, ſed ſemper maſculum. Sed natura generat quandoque fœmellam propter materiæ malam diſpoſitionem, ut prius dictum eſt.

DE INFANTIBUS.

QUa quidam totum aſſimilantur patri, quidam in totum matri, quidam utrique, quidam neutri parentum?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, ſi ſemen patris in totum ſuperat ſemen matris. etiam puer in totum aſſimilatur patri. Si autem per oppoſitum, tunc matri. Sed quandoque neutri aſſimilatur., & hoc contingit variis de cauſis; quandoque ex diſpoſitione primarum qualitatem, quandoque ex influxu conſtellationis cœleſtis. Et ſic refert Albertus Magnus exemplum, quod quodam tempore erat

erat bona conſtellatio pro generatione porcorum, & generabatur homo habens faciem inſtar porci: ſecundum hoc producuntur monſtra diverſi modè.

Quare pueri frequentius aſſimilantur patri quam matri?

Reſpondetur, quod hoc eſt propter imaginationem matris de diſpoſitione patris in coitu. Unde ratione fortis imaginationis, de qua moratur tempore conceptionis, pueri maximè attrahunt ejus diſpoſitionem. Quod verum eſt, ut ſuperius patuit de regina, imaginante imaginem nigram, & quæ peperit filium nigrum. Et rurſus patuit de quadam regina Æthiope, quæ tempore conceptionis imaginabatur de albiſſimo colore, & tunc peperit filium album. Et idem habetur ex artificio Jacob, qui virgas diſcoloratas miſit in aquas tempore commixtionis ovium.

Quare pueri aliquando aſſimilantur avis, & atavis, pluſquam parentibus?

Reſpondetur naturaliter, quia virtus avorum eſt impoſita in cordibus generantium, & poteſt dici quod ſit aliquando ex ſimilitudine nutrimenti, & tunc fœtus formatur ex ſimilitudine avorum.

Quare membra pueri ſunt diverſis modis diſpoſita, quædam molliora? Reſpondetur, quod hoc propter dominium diverſorum elementorum, quia oſſa fiunt ex materia terreſtri, ergo ſunt magis dura. Sed medulla, & cerebrum fiunt ex materia magis aquoſa, ergo ſunt magis mollia. Sed ſpiritus vitales, & animalia

generantur ex materia magis aerea: hoc & intelligitur de eorum membris, ex quibus reſultant hepar & cor, in quibus principaliter ſpiritus vitales exiſtunt.

Quare ſecundum uſum & curſum naturæ pueri exeunt uterum maternum nono menſe?

Reſpondetur, quia tunc fœtus eſt in totum perfectus, vel hoc ideo contingit, quia tunc regnat Planeta mollifluus & benevolus, ſcilicet Jupiter, qui eſt amicus naturæ. Nam ſecundum Aſtronomos, ipſe calidus & humidus, & ergo temperat malitiam Saturni frigidi & ſicci. Et ideo omnes pueri generati in nono menſe, ſunt ſani tàm frequenter.

Quare pueri exeuntes in octavo menſe, tàm frequenter moriuntur, & illi pueri dicuntur fœtus Lunæ?

Reſpondetur, quia Luna eſt planeta frigidus, habens dominium in fœtum, ergo ſuâ frigiditate ſtringit fœtum, ita quod oportet eum mori.

Quare puer exiens ſtatim flet?

Reſpondetur, quod propter ſubitam ſeparationem à caliditate ad frigiditatem, quæ frigiditas maximè lædit ſuam teneritatem. Sed alia ratio eſſe poteſt talis, tunc puer habet membra mollia & tenera, quæ comprimuntur cùm exire debent per portam matricis ſtructam & anguſtam. Et præcipuè cerebrum humidum, capite compreſſo, de ſe facit ſtillàre quoſdam humores, qui facientes exitum per oculos, cauſa ſunt fletus & lachrymarum. Sed Theologi aſſignant aliam cauſam, videlicet quod hoc fit prop-

propter transgreſſionem primorum parentum, & propter peccatum originale.

Quare puer, cùm exit, ponit digitum in os?

Reſpondetur, quia puer exiens à matrice, exit à calido balneo. Ergo intrans frigiditatem, ponit digitum in os, propter defectum caliditatis.

Quare mulieres aſſerunt, quod puer clamans in utero eſt malum ſignum?

Reſpondetur, quod eſt malum, eò quòd non vivus exit. Ergo dicunt Theologi, quod dum puer cognoſcit, ſe privari divino intuitu, propter carentiam baptiſmi, tunc clamat. Sed naturaliter reſpondetur, quòd clamor eſt ſignum ſuæ paſſionis; quia ſi maximè non pateretur, non clamaret.

Quæritur, quomodo puer exit de utero?

Reſpondetur, quòd primò caput exit, & ſi alio modo exiret, ſcil. per crura vel per brachia, tunc interficeret matrem & ſemetipſum.

DE FOETU.

QUæritur, quomodo fœtus ſucceſſivè generatur?

Reſpond. quod in primis ſex diebus fœminæ habent colorem lactis, ſed in ſex diebus ſequentibus habent colorem rubeum, qui eſt color propinquus diſpoſitione carnis, & tunc transmutatur in materiam ſpiſſi ſanguinis, & coagulati, non fluentis, ſicut maſſa carnea. Sed

in duodecim diebus ſequentibus poſt illos, materia condenſatur & conſolidatur ita, quod poſſet ſuſcipere fabricationem & formationem. Quia res fluida & humida non tenet impreſſionem, ut patet per Ariſtotelem ſecundo de Anima, ſic ſingulis diebus uſque ad partum aliter diſponitur. Sed quomodo fœtus per ſingulos menſes regatur per Planetas, hoc patet alibi, ſcilicet in Boëtio. Et ille modus transmutationis ſeminis, patet in his Metris,

Suſceptum ſemen ſex primis, crede, diebus.
Eſt quaſi lac, reliquiſque novem fit ſanguis, abinde.
Conſolidat duodena dies, bis nona deinceps
Efficiat totum, tempuſque ſequens oriundũ,

Quæritur, utrum fœtus ſtercus emittat, & mingat?

Reſpondetur, quod non, & ratio eſt, quia non habet primam digeſtionem, quæ eſt in ſtomacho: quia cibus non venit ei per os, ſed umbilicum: & ergo non urinat, ſed ſudat: quæ urina eſt parvæ quantitatis, & reſervatur in quadam pellicula matricis, & in partu emittitur magnâ copiâ.

Quare in fine imprægnationis. ſcil, ſeptimo octavo & nono menſibus, puer facilè exit?

Reſpondetur ſecundum Galenum, quia quando fructus ſunt maturi, tunc ligamenta facilè franguntur, & ſic facilè cadunt.

DE

DE ABORTIVO.

QUare mulieres comedentes cibum infectum, puta carnes rancidas &c. facilè generant abortivum?

Reſpondetur, quia in eis generatur ſemen infectum, quod anima abhorrens projicit ab agro naturæ, ſcilicet à matrice, quia non eſt aptum pro forma nobiliſſima, ſcil. humana, quod ei anima infunderetur.

Quare corporea luctatio & ſaltus faciunt abortivum, ut aliquæ mulieres aſtutæ benè ſciunt & faciunt?

Reſpondetur, quia per talem motum ligamenta embrionis ſolvuntur, & per conſequens ſequitur abortivus, quia materia diutius retineri non poteſt.

Quare ictus fulminis & tonitru faciunt abortivum.

Reſpondetur, quia ille vapor eſt aduſtivus, ratione cujus facilè lædit materiam tenerrimam ipſius fœtus, intrans per poros matricis. Imò dicit Albertus, Si puer actu viveret in utero materno, per fulmen & tonitru interficeretur.

Quare mulieres juvenes, & non vetulæ, propter cauſas prius dictas abortivum faciunt?

Reſpondetur, quia corpora mulierum juvenum ſunt magis rara, poris plena, & graciliora. Ergo vapor vulminis, cujus corpora earum intrat, procurando abortivum in eis: Sed mulie-

res veteres habent carnes craſſes & compactas, ita quod vapores eas facilè intrare non poſſint, ergo non ſequitur talis actio in eis.

Quare multum gaudium facit abortivum, ut vult Ariſtoteles.

Reſpondetur, quia tempore gaudii matrix deſtituitur calore, & per conſequens abortivus efficitur. Eadem ratio eſt, quare timor facit abortivum, quia tunc calor vadit ad cor, ſubeundo ipſi, derelinquens matricem.

Quare in principio impraegnationis; ſcilicet primo, ſecundo, & tertio menſibus, facilè fit abortus?

Ad hoc Galenus reſpondet, quod ſicut fructus pomorum vel pirorum in principio facilè cadunt, quia ligamenta adhuc ſunt mollia & debilia, ita etiam eſt de puero in utero.

Quare tempore impraegnationis adhuc medio, ſcilicet tertio, quarto, quinto, ſexto menſibus, difficulter, fit abortus?

Reſpondetur, quia tunc ligamenta plus ſunt fortificata, vel ſolida, & per conſequens non citò corrumpuntur.

DE VARIIS.

QUare aliquibus mulieribus major accidit dolor parturiendo, & aliquibus minor?

Reſpondetur propter tres cauſas, aliquando propter fœtus magnitudinem, vel quia obſtetrix

tris eſt indocta. Etiam aliquando fit, quia fœtus mortuus eſt, quia tunc non habet flexibilitatem, ſed in exeundo eſt inflexibilis. Sed dolor minor contingens, in aliquibus oppoſitum fit.

Quare homo non habet caudam, ſicut alia animalia?

Reſpondetur, quia homo eſt animal, cujus proprium eſt ſedere, ſed hoc nulli aliorum animalium caudam habentium eſt proprium.

Quare balneatores cum aqua frigida, & non cum aqua calida, expellunt calorem de fornace?

Reſpondetur, quia illæ ſunt qualitates contrariæ, quæ majoris actionis ſunt ad invicem, & ſic calor in lapidibus melius repellitur.

Quare aqua calefacta magis congelatur quàm frigida?

Reſpondetur, quod ideo, quia talis eſt magis rara, & per conſequens magis dat ingreſſum frigiditati.

Quare homines ſunt magis pingues & craſſi circa ventres quàm alibi?

Reſpondetur, quia maxima digeſtio eſt in ſtomacho. Ideo partes, quæ ſunt magis propinquæ ſtomacho, magis impinguantur, & craſſæ fiunt.

Quare animal poſt coitum triſtatur?

Reſpondetur, quia actus luxuriæ eſt in ſe turpis & immundus, & ſic omne animal abhorret talem actum, quia homines cum

cum ſuper hoc cogitant, erubeſcunt, & triſtantur.

Quare ebrii non habent diſcretionem inter ſapores, ſicut ſobrii?

Reſpondetur, quod caro linguæ eſt multum poris plena, ſive ſpongioſa, & in ſe multum capit de humiditate, & magis in ebriis quam in ſobriis. Ergo lingua repletur malis humoribus ex frequenti potatione, & ſic ex iſta repletione caro linguæ repletur, quod organum guſtus craſſum ſit: Quia guſtus eſt vera linguæ, ſubtili carne ſubtracta. Ideo propter ingroſſationem medii; id eſt, ipſius guſtus, potus ab ipſis ebriis ſumptus non perfectè ſentitur, quia ad debitam ſenſationem requiritur proportio debita medii. Et ex illo elicitur cauſa, quare ebrii non habent perfectum modum loquendi.

Quare animalia melancholica habent longas aures; & quare hujuſmodi homines habentes longas aures, ut plurimum non ſunt ſapientes, ſicut habentes breves aures, ut patet per Ariſtotelem in libris de Animalibus?

Reſpondetur, quod aures generantur ex materia frigida & ſicca, quæ dicitur cartilago, quæ eſt in potentia propinqua ad os, vel ad oſſis generationem. Sed quia animalia melancholica tali materiâ abundant, ergo habent longiores aures, ex quo habent materiam ſufficientem & abundantiam pro aurium generatione, & ſic tunc aures abundantes generantur?

Quare predicti ſunt ſemifatui?

Reſ-

Reſpondetur, quia animæ ſequuntur corpora. Nam ſi ſenſus corporis ſunt ſubtiles, tunc anima exercet ſubtiles operationes, tàm practicas, quàm ſpeculativas, & per oppoſitum eſt de corpore craſſo.

Quæritur, quomodo anima intellectiva conjungitur puero in utero matris, ſcilicet utrum pater generans diſponit materiam, ad receptionem animę intellectivæ?

Reſpondetur Theologicè, quod in materia ſufficienter diſpoſita, Deus infundit animam intellectivam. Et hoc idem vult beatus Auguſtinus, dicens: *Anima creando infunditur, & infundendo creatur:*

PROBLEMATA DIVERSA ET SAnè utilia.

SOlutis & adductis Problematibus de partibus corporis humani, & variis dictis Ariſtotelis, ex aliorum *Philoſophorum* & medicorum codicibus dilucidè electis, ſequuntur alia problemata utilia, quorum primum eſt,

Quare lepores apertis oculis dormiunt?

Reſpondetur, quia habent oculos præeminentes, & palpebras breves, & ſic cum difficultate clauduntur. *Alia* poteſt eſſe cauſa, quia ſunt animalia meticuloſa, ideo, ut ſe cuſtodire poſſint, apertis oculis dormiunt.

Quare corvi non cibant pullos ſuos ante novem dies?

Reſpondetur, quia videntes eos non eſſe ejuſdem coloris, ſeu non conformes colori ſuo, & ideo putant eſſe de alio genere, ſed tamen Deus omnipotes paſcit eos per illos dies rore cœli, unde Pſalmiſta: Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum.

Quare ovis & columba animalia ſunt mitiſſima?

Reſpondetur, quia carent felle. Et fel commovet ad iram, ut patet ſuprà.

Quare aves habent teſticulos introrſum?

Reſpondetur, quia ſi haberent eos extrorſum, impedirent eorum volatum, & levitatem.

Quare aviculæ non mingunt?

Reſpondetur, quia illa ſuperfluitas, quæ deberet converti in urinam, convertitur in pennas, & patet, quia in pennis multa apparet humiditas. Alia ratio eſt, quia ſunt in continuo motu, & ergo multum humidum in eis exſiccatur per aerem & ventum.

Quare ova oblonga efficiunt mares, & obtuſa fœmellas?

Reſpondetur, quia vult Hippocrates, quia calidi eſt, mittere à centro ad circumferentiam frigidi. Unde ſi qui ſunt oblonga, ſignum eſt, quod habēt multum de calore, ideo tranſeunt ad materiā maſculi. Quia in omni genere animalium maſculus eſt calidior fœmellâ, teſte Philoſopho. Si verò ova ſunt obtuſa, ſignum

eſt,

eſt, quod calor in eis indiſperſus & remiſſus, ideo tendat ad materiam fœmellæ.

Quare melius auditur noctu quàm in die?

Reſpondetur ſecundum *Ariſtotelem*, quia nocte major eſt tranquillitas, quam in die: quia Sol non ita benè levat vaporem noctu, ſicut in die, ideo tunc medium eſt melius diſpoſitum, & per ipſum melior motus fit, qui dicitur eſſe cum ſomno: Alia ratio eſt, quia in die plures fiunt motus aeris & ſoni, quàm nocte, qui ſe mutuo impediunt. Etiam nocte eſt magis ſilentium, quod eſt oppoſitum ſono. Sed quia oppoſita juxta poſita magis eluceſcunt, ideo quanto magis oppoſita ſunt juxta ſe oppoſitæ, tanto ſe magis declarant.

Quare homo tactus, ſub aſcellis citius ridet, quàm tactus in alio membro?

Reſpondetur, quia ibi eſt concurſus plurium nervorum, & quia etiam medium tactus ſcil. caro, eſt ibi ſubtilior, & ergo fit major & ſubtilior ſenſatio. Et hoc eſt verum, ſi talis locus non nimis tangitur, quia ſi fieret per excellens ſenſible, tunc non fieret talis delectatio, & quando ſic tangitur, tunc ibi diffuſio ſpirituum ex multis nervis ibi collectis, tandem venit ſpiritus ad faciem, & ſic inde cauſa eſt riſus.

Quare lignum aduſtum convertitur in carbonem, & os aduſtum vertitur in corpus?

Reſpondetur, quia lignum ante ejus aduſtionem, eſt ſufficienter humidum, & ſic poſt aduſtionem acquirit ſibi calorem per acci-

dens, & ille calor humidum in ligno totum conſumere non poteſt, & ſic remanet humidum poſt aduſtionem, & convertitur in corpus nigrum, eo, quod humidum in ligno fuit ſatis viſcoſum, & non potuit ab illo igne totum conſumi. Os autem ex ſua natura eſt frigidum & ſiccum, modicum habens in ſe de humiditate, quæ & aduſtionem in totum conſumit, & ſic per accidens humido conſumpto, os albeſcit.

Quare aliqui magis delectantur calore albo, & aliqui colore nigro?

Similiter reſpondendum eſt, ut ſuprà.

Quare aliquæ mulieres plus diligunt viros albos, & aliquæ viros nigros?

Reſpondetur, quod hujus duplex eſt cauſa. *Prima* eſt, quia aliquæ habent viſum debilem, & iſtæ magis lætantur nigredine, quia albedo propter ſufficiens lumen, ſuper naturam lucis, quam in ſe habet, magis lædit viſum; quàm nigredo. Secunda cauſa eſt, quia omne ſimile applaudit ſuo ſimili, ſed quia quædam naturæ calidæ ſunt, & iſtæ magis delectantur nigredine, quia nigredo ſequitur calorem. Sed quædam frigidæ ſunt, & iſtæ magis delectantur albedine, quia frigiditas eſt mater albedinis.

Quare animalia dormiunt?

Reſpondetur, quod propter neceſſitatem, quia ex longitudine diverſorum a-

ctuum

ctuum organa ſunt fatigata, ſed per requiem, quæ fit in ſomno, confortantur, ut patet per Ariſtotelem in libro de Somno & Vigilia.

Quare ſtudentes ſtatim poſt prandium volentes ſtudere, impediuntur per ſomnum, & non tempore ſolatii?

Reſpondetur, quia cum aliquis dat mentem ad ſtudendum, tunc calor naturalis ingreditur introrſum à membris exterioribus, & ſic per congregationem confortatur, & ſic facit aſcendere fumum cibalem, uſque ad cerebrum, & ſic cauſatur ſomnus per ingreſſionem ſomni. Vel poteſt dici, quod ideo, quia cùm virtus animalis intenditur, tunc naturalis remittitur. Sed quando homo eſt inſolatio, tunc per ſolatium calor naturalis diffunditur: & non permittitur fumus aſcendere ad cerebrum, & ſic homo non dormit, ſed dilatatur per totum corpus, & per conſequens, ſolatium impedit ſomnum.

Quare poſt labores homines libenter dormiunt?

Reſpondetur, quod in labore calor diſpergitur, per continuum motum ad membra exteriora, quia è converſo poſt laborem ad interiora colligitur circa loca digeſtiva, & facit digeſtionem, à qua fiunt vapores, qui procedunt à corde ad cerebrum, & obſtruunt meatus, per quos calor naturalis ad membra exteriora, deberet diffundi, & ſic frigefactis, & craſſis redditis

iſtis

iſtis membris exterioribus, ac frigiditate cerebri, tunc cauſatur ſomnus. Ex hoc patet, quod multum comedentes, & bibentes, multum dormiunt, & diu, eò quod exinde reſolvitur multus & magnus vapor, qui non poteſt bene digeri, & conſumi à calore naturali, &c.

Quare multùm dormientes ſunt male diſpoſiti, & male colorati?

Reſpondetur, quod in ſomno colliguntur multę humiditates, quę in vigilia expelluntur, quæ non poſſunt in corpore conſumi, & ſic petunt citò ejici, & petunt per ſuperficiem corporis, & præcipue ad faciem, & ſic cauſam afferunt malæ diſpoſitionis, ſeu mali coloris, ut patet clare in phleghmaticis, qui præ cæteris ſunt longiores ſomni.

Quare aliquibus apparet in ſomno, quod comedunt & bibunt aliqua dulcia?

Reſpondetur, quia & phlegma elevatum ſtillat ad fauces & ad guttur, & tale phlegma quodammodo eſt dulce, igitur in eis hoc apparet.

Quare aliquibus apparet in ſomno, quod ſunt in aqua, & ſubmerguntur, & aliquibus quod ſunt in aqua, & non ſubmerguntur, & hoc contingit maxime in phlegmaticis?

Reſpondetur ſecundum Ariſtotelem, quod hujus cauſa eſt, quia quando materia phlegmatica fluit ad ſuperiora, tunc apparet illis quod ſunt in aqua, & ſubmerguntur: ſed quando fluit ad interiora, tunç apparet eis quod eva-

evadunt. Alia poteſt eſſe cauſa, ſcilicet nimia repletio ſeu ebrietas. Unde cum homo eſt nimio cibo repletus, tunc fumi ſurſum aſcendunt, & multiplicantur,& inde videntur, quod debent ſubmergi ſeu ſtrangulari. Si autem non poteſt tam maximè aſcendere, tum apparet eis ac ſi evaderent.

Quæritur, utrem aliquis poſſit cauſſam ſomnii afferre ab extrinſeco?

Reſpondetur ſecundum *A*riſtotelem, quod ſic, ſed per iſtum modum, quia ſi aliquis alicui remiſsè loqueretur ad aures, ſic quod ipſe excitaretur, tunc ex commotione ſpirituum, in capite tonitrua fiunt, vel aliquod aliud ſimile, & ſic de illo fieret ejus ſomnium. Et ſic ſæpè aliquis ex revelatione divina poteſt habere ſomnium, de Deo glorioſo, ipſum in ſomno honorante. Cui quidem conditori totius univerſi, Filioque Virginis illibatæ, condigna laus & gloria gratiarumque actio, ſit nunc & ſemper, per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

MAR-

MARCI ANTONII ZIMARÆ SANCTI-PETRINATIS,

Ad Joannem Caſtriotam Ferrandinæ Ducem Illuſtriſſimum.

PROBLEMATUM LIBER UNUS.

MAR-

MARCUS ANTONIUS SANCTIPETRINAS HIDRUNtinus, Illuſtriſſimo Ferrandinæ Duci, Domino Joanni Caſtriotæ, S. P. D.

QUi opus aliquod Principibus dedicant, Dux illuſtriſſime, in operis præfatione, multa de laudibus eorum, relaxatis eloquentiæ habenis proſequi conſueverunt, ut eâ potiſſimũ ratione illos in ſui amorem alliciant, atque obnoxios reddant: quorum ego conſuetudines minime obſervare inſtitui. Vereor enim, ne ſi de tuis laudibus agere verè velim, idem mihi objiciatur, quod illi, qui apud Lacedæmonios de Herculis laudibus agere voluit. Quis Herculem vituperet, ut minus de eo bene ſentiat? quis illum namque non inter immortales deos enumeret, colat, obſervet? ut tu laudare velis, Lacedæmonii ſubdiderunt. Tanta enim eſt virtutum tuarum amplitudo, tantus in omni bonorum genere ſplendor, ut fruſtra quis prædicet, quibus ſis inſtitutus, aut quo ingenio polleas. Admirantur cæteri in te naturæ & fortunæ dotes: quidam verò ex virtutibus juſtitiam, quidam prudentiam, alii fortitudinem & magnificentiam: Ego autem unam præ cæteris admiror in te præcipuam charitatem, qua literatos amplecteris hac tempeſtate, qua ob bellorum importunitates, pax una cum literis interire viſa eſt. Invideo, dux invictiſſime, priſcorũ temporibus, apud quos tanta erat Philoſophorum autoritas, ut ſine ipſa Philoſophia omnium laudatarum ar-

artium procreatrice & quaſi virtutum omnium parente, neq; reſpublica, neq; privata conſtare poſſe, ullo modo videretur. Philippum Macedoniæ regem maximo gaudio affectum fuiſſe traditur, quod Alexander filius temporibus Ariſtotelis naſceretur. Quid de ipſo Alexandro dicam? quippe qui tanta obſervantia Ariſtotelem præceptorem coluit, ut omiſſis reliquis muneribus, quibus ab eo fuit locupletiſſimè donatus, Stagiram civitatem ſuam à Philippo patre ſuo dirutam, ſuis precibus inſtauraverit. Verùm nullus hoc ætatis princeps, qui Philoſophos amet, nullus qui Philoſophis faveat, te excepto. Quo fit ut tibi maximè iſtæ Philoſophiæ reliquiæ reddantur obnoxiæ, quippè qui nunquam viris virtute prad tis favere deſiſtas. Verùm ne opuſculum noſtrum in caput (ut ajunt) excreſcat, libellum noſtrum de quibuſdam quæſitis, ad utramq; Philoſophiam ſpectantibus, ex tempore editum, ob immenſum beneficiorum tuorum cumulum obſervantiæ erga te meæ argumentum, in præſentia ſuſcipe, graviora in poſterum ſuſcepturus. Vale.

MAR-

MARCI ANTONII ZIMARÆ SANCTI PETRINATIS *Problematum Liber*, ad Illuſtriſſimum Ferrandinæ Ducem, Dominum Joannem Caſtriotam.

PROBLEMA.

PRIMUM.

QUamobrem Sapientiam, omnium judicio, ſeipſum cognoſcere, omnium ferè difficillimum habitum eſt.

An quia nihil cognoſci poteſt, ignoratâ ſuâ formâ? Sui ipſius autem formam cognoſcere ut *P*hiloſopho videtur, ſatis admodum difficile eſt. Atque homo, *P*latonis autoritate, aut nihil eſt, aut ſi quid fuerit, nihil aliud eſt, quàm anima. An quia niſi actu reflexo hoc fieri nequit? Reflecti autem ſupra ſeipſum, maximæ immaterialitatis eſt argumentum: Quippe à ſenſibilis affectibus ſeductum oportet, qui ſeipſum cogniturus eſt, hoc autem quam difficile ſit, nemo eſt, qui ambigat. An quia homo intellectu vivit? Hominis autem intellectus ſeipſum non poteſt capere, niſi poſt captum aliorum, & hoc perdifficile eſt.

II.

*P*ropter quid Apollinis *P*ythii oraculo Socrates Græcorum omnium ſapientiſſimus dijudicatus eſt? Cum Ariſtotelis ſententia ſolùm circa moralitatem negotiatus fuerit, de natura nihil.

An

An quia ad communem hominum commoditatem magis expedire videtur benè vivere, quàm ſpeculari? An quia, ut Platoni videtur, paſſim illud profiteri conſuevit, Unum ſcio, quod nihil ſcio?

III.

Cur homines præcipuè de ingenio contendunt?

An quia reliqua ex bonorum genere in aliena poteſtate conſtituta eſſe credunt? Quemadmodum corporis dotes, naturæ: extrinſeca verò bona, fortunæ imperio ſubjacent. Quo fit ut unuſquiſque facilè ſe vinci in talibus ſinat, ut pote non ſui culpa aut occaſione contingentibus. Ingenium verò in noſtra poteſtate conſtitutum eſſe prorſus autumant: An quia animi bona cæteris præſtant, idcirco de re præſtantiore contendere, naturale admodum eſt? An quia communis eſt iſta hominum ægritudo, ut ſapienti cuidam videtur, quod quilibet credit ſe eſſe doctum plus quàm ſit, & cupit complere omnia, quæ credit, ſine ſtudio & labore.

IV.

Quam ob cauſam, cùm omnes homines ſcire contendunt naturâ, pauci tamen admodum ſcientiæ inſudant?

An quia virtutum poſuere Dii ſudore parandam, ut Heſido placuit? An quia corporis voluptas, cui hominis natura maximè obnoxia eſt, animum à veritatis indagine diſtrahit? Neceſſe autem eſt, ut quia animo vivere cupit, corporis mortem, ut divino videtut Platoni,

toni, meditetur. An quia natura hominis multis modis ſervire cogitur, ut Ariſtoteli placet? Quo fit, ut deficientibus adminiculis, naturale deſiderium non deducatur in agere, non enim natura per ſe ſufficiens eſt ad contemplandum.

V.

Propter quid nudam eſſe Philoſophiam, prædicant?

An quia nuda veritas, nulluſque verborum color requiritur, ubi de veritate agitur? Quippe Sophiſtarum intereſt de nominibus diſputare, ubi rerum ſinceritas quæritur. An quia malè philoſophari? qui Philoſophiam non propter ſe, ſed lucri aut ambitionis gratiâ proſequuntur. An quia nudum à paſſionibus corporeis oportet eſſe eum, qui Philoſophiæ vacarè deſiderat? Nam ut Ariſtoteli videtur, Anima ſedendo & quieſcendo fit prudens. An vulgarium opinione hoc firmatum eſt? juxta illud Tuſci Poetæ, *Povera & nuda vai Philoſophia, dice la turba al vil guadagno inteſa* quandoquidem hoc rationi minimè ſit conſentaneum Facilè enim eſt Philoſophis ditari, dum velint, quemadmodem Thaletis Mileſii, exemplo perſpicuum apparet.

VI.

Propter quid homines maximè in opinione eſſe appetunt, ut nonnulli Pyramides, alii ſimulachra, ſignaque, & varia ſui fabricent monumenta?

An quia omnia, ut Ariſtoteli videtur, perpetuum & divinum eſſe participare concupiſcunt

cunt ſecundum quod poſſunt; Inde provenit, ut ſi in eſſe naturæ non permanent, nituntur ut ſaltem permaneant in eſſe rationis. An quia ad ſucceſſorum excitamentum ita conſuetudo tulit, quo à Parentibus minimè degenerare videantur?

VII.

Propter quid eſt, quod hominis deſiderium circa ea, quæ fortunæ ſunt, immenſum creſcit? *An* quia, ut Senecæ videtur, naturalia deſideria finita ſunt: quæ autem ex falſa opinione proveniunt, ubi deſinant non habent?

VIII.

Quamobrem *Poetæ* ſemper principibus aliquem ſapientem familiarem conſtituunt? quemadmodum Homerus *Neſtorem* Agamemnoni: Euripides Tireſiam Creonti: Heſiodus *Prometheum* Jovi: & Maro Achatem Æneæ?

An quia naturæ lege ita comparatum eſt, ut divino datur cernere *Platoni*, ut ſapientia, potentiaque in idem tendant, ſemperque iſta duo ſe invicem affectant, proſequuntur, congrediuntur?

IX.

Propter quid Homerus, cùm de Legatis meminit, eandem verbotenùs imperantis legationem ſignificare facit?

An quia Legatorum intereſt, meram imperantis voluntatem, ſententiamque executioni mandare? quare nihil addere, nihilque ſubtrahere oportere, certum eſt. *An* quia im-

imperantis mandatum, ut pote ſapientis peroptimè digeſtum, abſolutumque eſſe præſumitur? quamobrem variatur ordo verborum, & tanquam perfectus, cui nihil deficiat, ſignificare debet ſapientum, quippe quorum eſt (ut Philoſopho videtur) imperare, conſtitutioneſque atque decreta abſoluta eſſe judicare.

X.

Cur Ariſtoteles in rebus difficilibus mira utitur brevitate?

An quia mos Sapientum eſt verba onerare ſententiis: An quia, ut obſcurus fiat, quatenus, ut expoſitoribus videtur, ingenia rudia deterreat, & à ſuorum operum lectione ſecludat? An quia in re difficili prolixus ſermo de veritate ſuſpectus redditur? quandoquidem veritas conſiſtit in paucis. An quia, ut ſapienti videtur, in multiloquio plerumque contingit delinquere.

XI.

Quamobrem illuſtres in aliqua ſcientia viri, dum in aliquo errant, gravius errant minus illuſtribus?

An quia proprii ingenii freti facultatibus, valdè admodum à ſenſibus abſtrahuntur? quare neceſſe eos falli. *Argumento* eſt Avicenna, qui cum ſua celebritate in *Philoſophia* dixit. Hominem ex terra naturaliter poſſe produci. Et maximus ille *Averroem*, quem nulla lex potuit perſuaſione convertere, vetulæ cujuſdam verbis ſeductus eſt, ut ſibi per ſuaſerit, Puellam in balneo ſine viri commixtione poſſe concipere.

XII.

XII.

Quare ſcientes, ſi injuſti evadant, magis injuſti ſunt minus ſcientibus? An quia ſuaviſſima eſt injuſtitia, ferre arma? ut Philoſopho videtur. An quia contrariorum una eſt ſcientia?

EX ARISTOTELE.

CUr homo, qui à Deo eruditione prædictus eſt, animantium omnium injuſtiſſimus ſit.

An quia ingenio,cogitationeque plurimum valet ad voluptates? igitur & felicitatem rimatur maximè atque perpendit, quàm niſi cum injuria aſſequi nemo poteſt.

XIII.

Quamobrem magis cupiunt videri homines, quàm eſſe & non videri?

An quia ſolus homo honoris eſt particeps? quo fit, ut quilibet videri bonus facilè appetat, laborem autem natura ſubterfugiat. Virtutes autem non niſi labore conſequimur. *An* quia Sophiſtarum natura hæc eſt, ut Philoſopho videtur, ut cupiat magis videri, & non eſſe, quàm eſſe & non videri? cæterùm pauci admodum ſunt, qui virtutes ipſas verè aſſequantur.

XIV.

Propter quid quidam in adoleſcentia fœminas, dum ſunt aut conſiſtentes,aut in primo ſenio, mares procreant?

An quia nimis coeuntibus refrigeſcit ſemen?

men? Quare cùm in ætate conſiſtentiæ & primo ſenio minus coeant, calidius eſt eorum ſemen, quod marium eſt productivum.

XV.

Cur pueris coeuntibus, cùm genituram non emittant, contingit delectatio?

An quia, ut Philoſopho videtur, ex ſpiritus emiſſione pruritus, & titillatio accidit? Quemadmodum in adultis, ex ſeminis emiſſione conſimile contingit.

XVI.

Quam ob cauſum frequenter coeuntes minus dilectantur?

An quia ex ipſa coitûs frequentia contingit ſemen & ſpiritus diminui, & refrigeſcere? Quare non ita pruritivum, neque titillativum eſt ſemen, quod delectationis cauſam aſſerunt Philoſophi.

XVII.

Propter quid plus lædit immoderatus coitus, quàm immoderata phlebotomia?

An quia ſpiritu plenius eſt ſemen, & magis proximum naturæ membrorum diſpoſitum nutrimentum, quàm ſanguini? Quippe, ut Galeno videtur, Subſtantialis eſt membrorum cauſa ſperma, & ex ipſo corpus augeſcit ac nutritur, ac quemadmodum eſuriens magis ledìtur ex panis, quàm ex farinæ ſubtractione: Sic corpus debilitatur magis ex ſeminis ablatione, quàm ex evacuatione ſanguinis:

XVIII.

Quam ob cauſam, qui prolixiori ſunt admodum pene, giguere nequeunt?

An

An quia per longum procedente ſemine interſtitium, neceſſe eſt ſpiritus exhalare? Qua propter frigidum & prorſum generationis ineptum redditur neceſſariò.

XIX.

Propter quid corpulenti in coitu parum ſeminis emittunt, & frequenter ſteriles ſunt?

An quia talibus ſemen in corporis alimentum tranſit? Nam eadem ratione, ut Philoſopho videtur, corpulentę mulieres parum menſtrui excrementi ejiciunt.

XX.

Quam ob cauſam mulieres, æſtivo tempore, mares vero hyberno, ad Venerem ſunt promptiores?

An, ut Philoſopho videtur, Quia teſtes eo tempore magis dimittuntur, & flaccent, quam per hyemem? cùm qui concubiturus ſit, retrabat ac ſuſcipiat illos, neceſſe ſit.

An quia naturæ calidæ præ nimio calore æſtivi temporis æſtuant, collabunturque frigida verò refrigeſcunt & vigent? Eſt autem vir calidus & ſiccus: mulier frigida & humida. Ergo virorum tunc vires infirmantur, mulierum corroborantur, & vigent per compenſationem qualitatis contrariæ. Eadem ratione, animalia frigidæ naturæ, ut Galeno videtur, hyberno tempore frigiditate aeris opprimuntur, ut quæ mortua in cavernis accubantia reperiantur, & quæ inſenſibilia, & nullum motum habentia, quædam verò ibidem pereuntia, unde pauco admodum, aut nullo extrinſeco tunc

alimento nutriuntur, quæ tunc ſuperveniente calore reviviſcunt.

XXI.

Cur pueris nomina ſeptimo die imponi conſueverunt?

An ut *P*hiloſopho videtur, Quoniam ante ſeptimum diem plures intereunt, quod fit ne tunc nomina imponantur, tanquam ſaluti pueris magis credamus.

XXII.

Quamobrem præ cæteris animalibus homo maximè ſuperbit?

An propter variam & multi jugam cognitionem? ſi quidem, ut *P*hiloſopho datur cernere, Sunt omnia ſenſibilia per ſenſum: omnia intelligibilia, per intellectum: quare quid reſtat, quod ejus cognitionem ſubterfugiat?

*A*n quia nexus videtur eſſe Dei & Mundi? Mediæ quippe naturæ eſt, quæ intentio æternitatis, & temporis conſtituta eſſe creditur. An quia cæteris animantibus imperat, omnia hæc ad ſui videntur redacta fuiſſe arbitrium? An quia illud reſpondebo, hominis ſuperbiam ex ſui ignoratione provenire? Quippe (quæ Hermetis ſententia eſt) ſi ſe inter ſtercus & urinam conceptum fuiſſe reminiſceretur, ſi ſe nudum in lucem prodiiſſe animadverteret, ſi ſe cum miſeriis & laboribus vitam ducere perpenderet, ſi tandem ſe mortis vinculis ad ſtrictum penſitaret, non utique ſuperbiret.

EX ARISTOTELE.

CUr homo maximè aliud intelligat, aliud faciat?

An quia contrariorum eadem ſcientia eſt? *A*n quia mentis officium complura contingit, appetitus in unum tantummodo profluit? *A*tqui homo mente magnâ parte vivit ratione; beſtiæ appetitu; irâ, cupiditateque ducuntur.

XXXIII.

Quam ob cauſam, *(a)* cùm ſecundum intellectum, quædam bona eſſe judicavimus, mala tamen plerumque proſequimur, juxta illud Poetæ: Video meliora proboque, Deteriora ſequor. *(a)* Scot. 1. ſententiarum diſt. 36. quæſt. 1.

*A*n ex naturali plenitudine libertatis voluntas pendet indiſcriminatim, ut ſubtilibus videtur, (*A*riſt. primo Politicorum, &c.) in oppoſitos actus, ut eis mediantibus libera etiam eſt in oppoſitis objecta, in quæ tendit: hujus autem, præter voluntatis naturam, non oportet aliam quærere rationem & cauſam: indiſciplinati ſiquidem eſt omnium quærere cauſas. Nam ut Philoſopho (*Phy*ſicorum textu 25.) videtur, *P*rincipiorum non altera cauſa. An peripateticè reſpondebo, ex corporis connexione provenire voluntatem noſtram, non ſemper confirmari ratione? Quod argumento abſtractorum intellectuũ corroboratur, ſiquidem in eis non eſt aliud volitum & aliud intellectum. Averroem

roêm 12. Mat. 23. 9. 13. 3. Quo ſit, ut incontinentes ſecundum concupiſcentiam agere dicantur, ut *A*riſtoteli (3.Eth.c.5. *P*rimo Ethicorum c. 19.) placuit,non intellectione,aut voluntate:apparet enim aliud quiddam prçter rationem illis ineſſe, quod repugnat reſiſtitque rationi : Ut enim reſolutæ corporis partes, ſi ad dextram movere velis, in ſiniſtram feruntur : ſic & in animo in contrarium feruntur,in continentiam appetitus voluntate. Vide part. 30. *P*robl. 3. Adſtipulatur huic ſententiæ aurea illa Apoſtoli autoritas dicentis. Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in legem peccati, quod eſt in membris meis. Quare ſapienter dictum eſt, & à cœlo emanavit : Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.

EX ARISTOTELE.

CUr omnium animalium homo prudentiſſimus eſt? Lib. 3. de Natur. 19.

Utrum, quia capite minimo eſt, ſcilicet ad ſui corporis proportionem, ut Philoſopho videtur in Problematibus? An quia natura perfectiſſima eſt,& ob eam rem virtutum habitus in eo conſpectiores continentur? *A*n quia ſolius hominis ſanguis tenuiſſimus eſt ac mundiſſimus ſanguis? quippe naturæ cauſa eſt, cur per multa animalibus veniant, tum per mores, tum etiam per ſenſum: ratio eſt,materia enim totius corporis eſt. Quippe cùm alimentum materia ſit, ſanguis autē ultimum alimentum ha-

habeatur: facit igitur ut plurimum differentiæ exiſtat, ſi calidus aut frigidus ſit, ſi tenuis, aut craſſus, ſi turbulentus, aut nitidus. An quia ex ſui conſtitutione perfectiſſimum obtinet ſenſum tactus? quod experimento comprobatur in ipſis hominibus. Quippe quia molles obtinent carnes, acumen & acrimoniam ingenii poſſident, quorum verò craſſior, ac colloſior fuerit cutis, habetudinem & tarditatem. Quapropter hominis temperatura, maximè ad prudentiam ſapientiamque videtur idonea, fortè è ratione: quod in molli corpore primus maternuſque ſpiritus animæ faciliùs infunditur, & libentîus expedituſque diſcurrit: contrà duricies & craſſitudo obturat oppitulaturque, & ergo repagulo ſunt, ne purus & liquidus tranſmittatur. Etenim omnibus ſua cuique portio ſpiritus, ad ſanctionem miniſterii tributa eſt: quocirca fieri contra, ut à prima anima, qui præciſi, abjunctique videantur.

XXIV.

Quam ob cauſam mulieris ingenium in bonis ineptum, in malis verò promptiſſimum eſt? quod & Euripides in Medea ſentire videtur?
καὶ πεφύκαμεν γυναῖκες, εἰς μὲν ἐσθλὸν ἀμηχανώταται: κακῶν δὲ πάντων σοφώταται.

An propter privationem, quæ cum ſui natura videtur eſſe connexa? Nam ut Philoſopho datur cernere, Fœmina eſt, quaſi mas læſus: Privationis verò ea conditio eſt, ut ſemper malum moliatur, atque perniciem machinetur.

XXV.

Quamobrem ajunt, primum mulieris conſilium fore eligendum? U-

Utrum quia, quemadmodum in rebus ratione carentibus cernimus, à ſuperiori Autore in proprios fines dirigi earum actiones, & motus? Namque veriſſimum puto, quod dicitur, providentiam fuiſſe, quæ & turpe deſiderium honeſtatis, & egendi opulentiæ, quantum ſit ſatis, injecerit. Sic & mulieris intellectus, etſi boni verique rationem non capiat, ad talia tantum capeſſenda, ab in fallibili veritate plerunque dirigitur. Conſilia verò, quæ propria indagine ipſa molitur tanquam in valida, & quam pluribus erroribus infecta relinquenda eſſe conſpiciuntur.

XXVI.

Cur mulieres corporis cultu magis delectantur viris?

An quia mulierum natura imperfecta eſt? quo fit, ut ſuæ conditionis defectum artis beneficio ſupplere contendant, atque nitantur. Natura ſiquidem comparatum eſt, ut turpe, pulchrum & honeſtum appetat, & proſequatur. An quia mentis decore carentes, corporis ornamento prorſus vacare coguntur?

XXVII.

Propter quid rarò longus ſapiens eſt?

Utrum quia corporis prolixitas ex exceſſu caloris, humiditatiſque exuberantia proficiſcitur, atq; ſapientibus videtur complementum, & perfectio atque valentia ad noſtras perficiendas operationes, non niſi multa ſiccitate perficitur, quæ aſſiduè progreditur, donec nos inducat ad interitum noſtri. Siquidem corporis conſtitutio, à ſui primordio ab ultima humidita-

ta-

tate profluxit. Caloris inſuper excellentia autoritate *P*hiloſophi tranquillitatem mentis, judiciumque pervertit.

XXVIII.

Quam ob cauſam multitudo principum mala? Quod Homerus ſentit:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς.

Utrum unum eſſe quàm plura melius eſt, ut Philoſophi fert ſententia? An quia ſi imperium in tyrannidem tranſeat, ac convertatur, ſatius eſt unus quàm plurium ſubire jugum? An quia ad commune Reipublicæ commodum, raro imperantium multitudo reſpicere conſuevit? Quo fit, ut uno diſſentiente, maximum univerſitati immineat malum. Facilius quippe eſt, unum quàm plures ad bonum diſponi. In *P*rincipatu enim multorum non deſunt; invidiæ, jurgia, contentiones, rixæ. *P*roinde cum experimento comprobatum ſit, regnum non capere duos, quàm veriſſimè illud Ariſtoteles enunciavit: Multitudo principium prava: unus ergo ſit princeps.

XXIX.

Cur cùm cæteris animalibus cor in medio ſit pectore, homini verò ſolum paulò vergit ad lævam?

Utrum ut ejus partis refrigerationem moderetur atque compenſet; Omnium enim animalium, ut Ariſtoteli placet, maximè homo refrigeratam habet partem ſiniſtram.

*A*n ut medicis videtur, ut hepati magis cederet? quod in parte dextra collocatum eſt.

XXX.

Quam ob cauſam mulier virum, qui eam defloraverit, præcipuo amore proſequitur?

Utrum, quia quemadmodum materia formam, ſic fœmina marem appetit? *An* ob verecundiam; Nam ut divino libuit *Platoni*, Verecundia amorem proſequitur. Rationabile eſt, ut illam qui ſui pudoris vincula relaxavit, vehementer admiretur & amet. An quia præcipuæ delectationis initium, maximam alterationem inducit in toto, quia poteſtates animæ maximè oblectantur, & ei immobiliter adhærent & acquieſcunt. Quapropter Heſiodus, Puellam uxorem ducere præcepit.

XXXI.

Quamobrem noctes plenilunii calidiores ſunt, cùm Mathematicorum ſententiâ Luna frigida ſit naturâ?

An quia peripateticorum autoritas ferenda eſt, aſſerentium, Lumen quodlibet calefacere, quatenus reflectitur.

XXXII.

Cur noctes autumnales frigidiores ſunt vernis?

Utrum quia tunc temporis aer maximè rarus eſt? Rarefacta autem corpora, maximè diſpoſita ſunt, ut quàm citiſſimè calefiant & refrigeſcant. Quod & in aqua eſt facilè cernere, nam qui circa *Pontum* ſunt, ad piſcium venationes, glacies aqua calida decidentes, circumfundunt calamis, eâ ſiquidem ratione quia citius concreſcit, utuntur enim glacie, quaſi plumbo, ut calami conſiſtant. Nam ut *Philoſo-*

pho

pho videtur, maximè confert ad celeritatem concretionis præcalefactam eſſe aquam.

XXXIII.

Propter quid corpora, Autumno magis læduntur à frigore, quàm Vere?

An quia Vere aſſueta frigiditati corpora ad caliditatem accedunt? quare naturalis, & non ſubitaneus eſt Motus; autumno autem, à calore ad frigus nullâ aſſuefactione aut medio interpoſito, properant, quare neceſſe eſt ea proferri. Natura autem ſubitaneas mutationes non patitur, ſicut Galenus ſentire videtur.

XXXIV.

Propter quid homines piloſi, maximè ſunt ad libidinem prompti ac proclives?

Utrum quia in his maxima copia excrementi eſſe præſumitur, & ſeminis, ut Philoſopho videtur?

XXXV.

Propter quid homines, qui parvum caput obtinent, naturaliter ſunt iracundi?

An quia parvo exiſtente capite, cerebro, cordis caliditas, propter oppoſitionem contrariæ qualitates, debito modo non poteſt refrigarari? An quia ira ex ſanguinis ebullitione circa cor, propter deſideria rei contriſtantis contingit.

XXXVI.

Quam ob cauſam ubi homo minxit, eveſtigio comprimit anum?

An quia ſtatim aër ad replendum vacuum proficiſcitur? quare aëris frigiditate membra alterari, & inhorreſcere neceſſe eſt.

XXXVII.

Quamobrem nonnulli ex triſtitia perierunt, quidam vero ex gaudio, ex ira verò nulli?

An quia gaudium intima viſcera prorſus refrigerat: Triſtitia verò interiora extinguit & ſuffocat, exteriora frigefacit? Calore verò manente, ſtat vita, natura: ut Philoſopho datur cernere, Permanſio animæ in calido naturali, vita eſſe dicitur.

XXXVIII.

Cur pubeſcentibus, dum ſemen ferre incipiunt, vox immutatur?

Utrum quia cor, ut ſolertiſſimus Naturæ rimator Ariſtoteles ſentit, quicquid Medicis videatur, ſanguinis & venarum principium eſt? quo fit, cùm in parte ſuperiori vocatum ſit, ſeminalis excrementi mutatio hic primum. Innoteſcere neceſsè ſit. Ex quo fit, ut etiam voces cùm marium, tùm fœminarum, immutentur, dum ſemen ferre incipiunt.

XXXIX.

Propter quid libetis pleni aqua ferveſcente, fundum frigidum eſt?

An quia calidi vapores ſurſum tendunt? Quare cum ſuperiores caleſiunt, fundum etiam interea frigiditate aquæ contiguæ frigeſit.

XL.

Cur grana, quæ æſtivo tempore formicæ in horreis reponunt, corroſa unâ ex parte repeciuntur?

Utrum, quia è natura diriguntur, ut particulam primam, in qua virtus ſeminaria conſtituta eſt, abſumant, ne pullulet? aliàs illic germi-

minantibus, propriis laboribus, fraudarentur alimento privato neceſſario.

XLI.

Quam ob cauſam matres ardentiûs amant filios, quàm patres?

Utrum, quia magis laboraverunt? An propter majorem certitudinem, quam habent de ipſis: ut ſentit Ariſtoteles.

XLII.

Quam ob cauſam, pater non æquè amatur à filio, quemadmodum filius à patre?

Utrum, quia, ut Sapientibus videtur, amor non retrocedit, ſed aſſiduè ad ulteriora progreditur? quandoquidem amorem naturæ viventibus inſervit, ut ſpecies ipſa perſeveret: quo fit, ut naturale deſiderium, neglectis prioribus, ſemper futura reſpiciat. An quia, ut Philoſopho videtur, pater habet aliquid ſui in filio, filius nihil ſui in patre repoſuit.

XLXIII.

Cur materia ad filii productionem active non recurrente, ſecundum ſententiam Ariſtotelis, filii ex majore parte potius matris effigiem præ ſe ferunt quàm patris?

Utrum, quia omnes ſimilitudines, quæ in humana natura vel ſpecie continentur, poteſtate & virtute, in ſemine patris ſunt? Quo fit, ut plerunque filius neutri aſſimeletur, ſed avo, vel proavo, quandoque verò nulli ex eorum familia ſimilis eſt fœtus. An quia ex forti imaginatione hoc provenit? Tales enim vehementi admodū amore uxores proſequi conſueverunt. Nam ut Avicennæ fert opinio, Contingit

git plerunque corpus ab affectibus animalium immutari: valdè enim admodum imprimunt res naturales: Quemadmodum evenit, ut puer illum præ ſe ferat, cujus effigies fuerit præconcepta in ipſo concubitu mulieris & viri. Et huic ſententiæ vulgares, qui rerum cauſas & habitudinis non capiunt, minimè aquieſcunt. Sapientes verò illi aſſentiunt, tanquam poſſibilia continenti. Et proinde evenit, ut ſanguis ad exteriora moveatur & profluat in eo, qui rubeas tes maximè quâdam applicatione animi conjectat & conſpicit. Eodemque modo dentium ſtupor contingit, dum aliquem rem acredine participantem comedere cernimus. Et plerunque membra eadem in nobis languent, cùm aliquem dolore in talibus intuemur. Sæpè etiam noſtri corporis conſtituto immutatur, propter timoris exceſſum.

XLIV.

Quamobrem aſini, ut in proverbio eſt, agiliores in prima ætate eſſe dicuntur?

Utrum, quia eorum naturâ & conſtitutione exiſtente melancholica ab ætate, contrariarum qualitatum compenſatione neceſſe eſt temperiem provenire? Melancholica ſiquidem natura frigida eſt, & ſicca, pueri autem calida & humida. Hoc etiam in pueris videmus melancholicis, quippe in pueritia ingenio maximè pollent: & ante expectatum, ſapientiâ & prudentiâ fulgent, ut indiſcriminatim, quicquid lubet, impoſterum de eis ſperare & tibi polliceri valeas: quorum tamen ingenia in ætatis progreſſu marceſcunt. Quare quàm ſcitè

&

& eleganter Elogium illud apud Græcos emanavit. Eſto malus ut vivas, talium namque natura quàm breviſſima eſt.

Cur in *Ponto* & in Scythia non ſunt aſini? An quia maximè frigoris impatiens eſt eorum natura, ut Philoſopho placet;

XLVI.

Propter quid Clericorum & Mulierum avariſſimum genus eſt?

Utrum, quia virtutis habitus, ex frequentibus actionibus proficiſcitur? Cùm igitur clerici filiis uxoreque careant, ſuas erogare divitias nulla neceſſitate coguntur, interea accipere ac congregare aſſueſcunt, ſicque avari evadunt Nam, ut Philoſophus aſſerit, quales ſunt actus unius cujuſque, talis tandem & ipſe evadit. Mulierum enim natura, ut ſæpè diximus, imperfecta eſt, proinde ſibi ad plenum ſatisfacere, impoſſibile eſſe autumant. Quare congregant & retinent, ut ſuæ indigentiæ eo modo, quo poſſunt, occurrant, & quod natura illis non tribuit, arte & induſtriâ aſſequi enituntur. Eadem, ut puto, ratione evenit, ut ſenio confecti avaritiæ ſtudeant. Ætatis namque, & *Naturæ* deſtituti auxiliis. Fortunæ bonis inhiare proponunt, ut per ea defectibus objiciant.

XLVII.

Propter quid in bello potius quàm extra vulnerati minus dolent?

Utrum quia virtutes animæ ad aliam partem tendunt: Nam, ut Philoſopho videtur. Ad alia fortiter intenti delata ſub oculis non videmus. An propter iram, quæ, ut Sapientibus videtur, tàm

tàm interiora, quàm exteriora membra calefacit. Calore autem anima, ut Ariſtoteles inquit, omnia operatur. Quare contingit iratum, ex illato vulnere tardius refrigeſcere, indeque evenit, ut minus, & tardius doleat.

XLVIII.

Quam ob cauſam, ſi Solis aut Lunæ contingit deliquium, admiramur, cum autem ex ſeminibus plantæ aut animalia progignuntur, minimè.

Utrum, quia à rebus conſuetis admiratio cadit, ut Sapientibus videtur, & negligit anima de ipſis inquirere veritatem. Quod autem rarò evenit, excitat admirationem, & reducit intellectum ad inquirendum & perſcrutandum cauſas ejus.

XLIX.

Quam ob cauſam ex ſeminis diuturna retentione, capitis gravedo, & memoriæ habetudo, & cogitativæ mala diſpoſitio contingit?

Utrum, quia cerebrum ex ſeminis exuberantia gravet & impediat? An quia ſemen diu retentum mala & venenoſa afficitur qualitate: quo fit, ut vaporatio ejus caput lædat nimis.

L.

Propter quam cauſam Clerici & Monachi mortem præ aliis ægrè ferunt ac perhorreſcunt;

Utrum, quia natura eorum frigidi cordis extat, & melancholica eſt? An quia prorſus funditusque ſe interire animadvertunt, quandoquidem nec in propria, nec in poſterorum natura conſiſtunt, ubi ex vita migraverint?

Pro-

LI.

Propter quid, cum plantæ nutriantur, & à qualibet digeſtione aliqua ſuperfluitas decidatur, nullum eſt tamen in eis cernere excrementum?

Utrum, quia terra ejus, quæ calore, perinde ac vere utitur propriis? Namque radicibus alimentum jam ex terra confectum hauriunt, ideo in ſtirpibus contrahi minimè ſolet.

LII.

Propter quid plantæ, quæ frondes amiſerint, denuò recipiunt pilos, & animalia pennas, quas amiſerint, iterum recipiunt: hominibus autem, quibus calvicium contigerit nunquam capilli redeunt?

Utrum, quia anni tempora, illius corporis mutationem offerunt ita, quod primò temporum mutatione viciſſitudo gignendi amittendique ſequitur? Ut animalia, pennas, poſt ut plantæ frondes, ſic pilos dimittant, recipiant: hominibus verò calvicium per ætatem evenit. Ætatibus verò reverſionem natura non tribuit

LIII.

Propter quid æſtas omnes ægritudines terminat?

Utrum quia, ut Avicennæ videtur, Si virtus & natura conſtiterit, inveniet aerem reſolutioni & digeſtioni, & expulſioni promptiſſimum: ſi verò proſtrata fuerit, calor continentis magis ipſam proſternes? laxat enim corpora debilia, quapropter ægro pernicies adveniet & interitus.

Quam-

LIV.

Quamobrem æſtate, ſi quis manus in aquam adjiciat, magis refrigeſcat aqua mota quàm quieſcente ?

Utrum, quia particula aquæ, manum contingentes, à calore manûs calefiunt. Siquidem omne agens, in materia cum patiente communicans, in agendo rurſum patitur, motâ autem aqua, neceſſe eſt rare factas particulas ſegregari, aliasque frigidiores ſuccedere.

L V.

Cur nonnulli malæ habitudinis, conſtitutionis, plerumque diutius vivunt aliis ſanguineam aut meliorem naturam habentibus.

Utrum propter regiminis perverſum ordinem. Aut melius reſpondebo, diſpoſitionis eas latentes diverſas eſſe. Infinitus quippe eſt, ut *A*verroi videtur, elementorum numerus in Naturæ ſuppoſitis, quoniam præter Naturæ autorem, intellectus non poteſt capere.

L VI.

*P*ropter quid, Medicorum ſententia Suffocatio matricis, quæ ex contentione fæminis contingit, ſævior eſt illa, quæ ex retentione menſtrui excrementi provenit.

Utrum, quia quanto aliquod excrementum perfectius eſt, dum in ſua naturali diſpoſitione conſiſtit, tanto cæteris deterius redditur, dum ab ea removetur & ad contrariam qualitatem permutatur ? quod in aceto etiam eſt cernere, quippe quo melius eſt vinum, quod aceſcit, eo acetum eſt acutius. Eadem ratione evenit, ut qui ſe invicem nimis amaverint,

verint, recurrente diſcordia, majori odio ſe proſequantur.

LVII.

Cur navigantibus terra, & res, quæ quieſcunt mobiles videntur?

Utrum quia viſionis ſenſorium, mota navi neceſſe eſt per accidens moveri?

Quo ſicut ſenſibilium ſimilitudines recipiantur cum motu.

LVIII.

Quare ſenſum viſus præ cæteris diligimus?

An quia, ut inquit Ariſtoteles, rerum differentias nobis oſtendit? An quia ejus cognitio magis quàm cæterorum à materia ſe juncta eſt. An quia amoris præcipua vis, ut divinus inquit Plato, in ea conſtituta eſt.

LIX.

Cur cùm ſenſu viſus baculus in aqua fractus appareat, non tamen ſic judicamus?

Utrum, quia viſum errare comprehendimus ſenſu tactus? An quia non ſecundum eandem potentiam judicamus, per quam phantaſmata fiunt? Signum autem, quia Sol pedalis videtur. Et per digitorum permutationem, unus duo videntur, attamen non aſſentimus duo eſſe.

Cur volentes aliquid à remotis intueri, manum ſupra viſionis ſenſorium admovent?

An quia motus non interpellantur, ſed à longè directi ſenſorium ſubeunt integri?

Eadem ratione, ut Philoſophus ſentit, Animalia, quæ prominentibus ſunt oculis procul cer-

cernere nequeunt. Quæ contrà, intus, in cavo oculos habent poſitos, longè aſpicere poſſunt, quoniam motus in vaſtis non diſſipatur, ſed recto tramite meat.

L XI.

Quam ob cauſam quidam à remotis vident aliqua objecta, quæ ſi propinqua fuerint, intueri non poſſunt?

Utrum, quia res inviſibiles non videntur, niſi mediante aëre lucido: Oculi verò imbecilles majori copia luminis indigent, quàm oculi bene diſpoſiti. Objecto autem procul poſito, a viſionis ſenſorio in ipſo interſtitio plus luminis indigent, quàm oculi bene diſpoſiti. Objecto autem procul poſito a viſionis ſenſorio in ipſo interſtitio plus luminis intercipitur. Aut quia motus, quia ſenſibili remoto ad ſenſum debilem proficiſcitur, debilis eſt, quem ſenſus ſuſtinere non poteſt? Quia autem de propinquis viſibilibus cauſatur, fortis eſt, quem viſus debilis pati nequit. Quod in decrepitis eſt cernere, quippe qui propter viſus imbecillitatem à remotis vident, & tenues literas in Solis lumine legere poſſunt, qui tamen à propinqua diſtantia, in lumine candelæ aut Lunæ legere, aut videre nequeunt.

L XII.

Propter quid quidam propinqua ſenſibilia vident, remota autem videre nequeunt?

Utrum propter viſus imbecillitatem? quippe in talibus videndi facultas debilis eſt, & non unita, quo ſit, ut indigeat forti motu, ut contingit illis, quorum oculi ſunt valdè emi-

nen-

nentes, qui, ut dictum eſt, procul cernere nequeunt.

LXIII.

Propter quid, volentes directè ſagittas emittere, comprimunt oculum.

Utrum quia virtus viſibils, tunc ex unione ſpeciei magis unita redditur, quo fit, ut ad ſuas actiones promptior reddatur atque potentior?

LXIV.

Quamobrem qui diu in tenebris verſati ſunt, ſi repentè maxima ſplendori occurrant, obcæcantur.

Utrum quia, Sapientum conſenſu, natura ſubitas eas mutationes non tolerat? An quia viſibilis ſpiritus in talibus paucus eſt, quia gaudens ſuo ſimili, dum lumini obeat, diſſolvitur. Aut quia iſti propter luminis deſiderium, quo longo tempore caruerant, aſpectum rerum viſibilium & luminis diu proſequuntur. Quo fit ut virtus poſtrata amplius debilitetur: quod etiam in illis, qui famem longo tempore perpeſſi ſunt, evenit, quippe qui cibum magnâ cum aviditate capiunt, etiam plus cibi aſſumunt, quàm virtus eorum digerere poſſit, quo fit, ut multi hac de cauſa depereant.

LXV.

Quam obrem obtusè videntes, parvas minutaſque literas ſcribere conſueverunt? Mirum enim eſt, ut qui obtuſis ſunt oculis, rem faciant, quàm eorum facere intereſt, qui acumine valeant oculorum?

Utrum, quia proximè poſita, magna eſſe viden-

dentur, illi autem oculis proximè admotis ſcribere ſolent? An quia contentis palpebris ſcribant: Fit enim pro imbecillitate, ut ſi laxatis diductiſque oculis ſcribant, aſpectus diſtractus, paſſuſque hebeteſcat, ſi adductis & conniventibus in univerſum depromptus acutius videat. Quod tamen angulum informat exiguum, efficit neceſſariò, ut exiguæ literæ ſcribantur.

LXVI.

Quamobrem, ſi quis nocturno tempore propè tranſeat, & oculos admovet, longius videt, quàm ſi manſerit erectus?

Utrum, quia perſpicuum terminatum, & ſi minus luminis capiat non errante, diutius tamen illud retinet, quod per aliquam diſtantiam illuminare poteſt, ſicque viſui confert ad videndum?

An quia lumen, quod ex ſtellis in aere eſt diffuſum, flectitur à terra reflectione imbecilli, & ſic diſtantiam aeris terram ambientis illuſtrat?

An quia obſcuri vapores, aerem obtenebrantes, non prope terram, ſed in aere remotiori, ſupernatant, quo fit, ut in aere plus viſum impediant, quam per terram.

LXVII.

Propter quid, qui malum aliquod operantur, oculis & vultu diſſimulare nequeunt? Quod & Poeta ſentit:

Heu quam difficilè eſt, crimen non prodere vultus.

Utrum, quia ut Palæmoni & Phiſioni videtur, oculus eſt nuncius cordis, ſicut animæ ſpecu-

ſpeculum, in quo omnia refulgent & emicant?

An quia corporis particula infirmiſſima, & laxior refertaque meatibus eſt? Quo fit ut omnis alteratio, quæ ex corde exordium ſumpſerit, quod ut Peripateticis videtur, omnis ſenſationis motus, atque cogitationis principium eſt, ad oculos illicò proficiſcatur.

LXVIII.

Quamobrem oſcitantes aut ſpiritum reddentes, accipientes vè, minus audiunt?

Utrum, quia extremum ſenſorii auditus, ac partem ſpiritalem terminetur? quo fit, ut quatiatur moveaturque una cum ſpiritali inſtrumento quoties illud ſpiritum movet: Movetur enim cùm movet. An quia multus ſpiritus inter oſcitandum, aures etiam intrinſecus ſubit, ut motio vel ſenſus percipi poſſit, quam trudit ad aures maximeque poſt ſomnium? Strepitus autem vel aer, vel aeris affectio eſt: igitur cum interiore, remittitur, exteriori illi occurrenti efficitur, ut motus interioris ſtrepitus, motum exterioris retorqueat atque obfuſcet.

LXIX.

Propter quid nihil ſuæ generationis & corruptionis, ipſum poteſt eſſe ſui cauſa?

An quia perſiſtere oportet ei, quod movetur, & generans ei, quod generatur, aliquod autem prius ſeipſo eſſe impoſſibile eſt.

LXX.

Propter quid mulierum corpora laxata ſunt & mollia, pilisque carentia, & minora corporibus maritorum?

Utrum, quia fluxus menſtrui excrementi? Namque cum illo ſuperfluitates, ex quibus pili naſcuntur, profluunt, ex quibus caro & corporis affectus repleri poſſent: quare etiam corpora minora obtinent. Inde etiam proficiſcitur, ut earum venæ latentiores ſint, quam in maribus.

LXXI.

Propter quid, dum aliquid horrendum cogitamus, terrore concutimur?

Utrum, quia cogitatio & intelligentia rerum, virtutum atque valentiam obtinet? Nam (ut inquit *Plato*) rationes utique cum iis rebus, quas exprimunt, cogitationem quandam habere videntur. Species ſiquidem calidi aut frigidi aut rei delectabilis, vel conſtantis, talis exiſtit, qualis natura rerum, ſicut Philoſophi protulit ſententia.

An quia ad comprehenſionem alicujus horrendi, revocatio caloris ad interiora conſequitur, quo fit, ut partes exteriores frigeſiant, & tremore quatiantur.

LXXII.

*P*ropter quid mares in ſua nativitate primò caput emittunt, feminæ verò pedes?

Utrum, quia partes in maribus ſuperiores majores ſunt, in mulieribus autem inferiores? Natura ſiquidem marium calida eſt: Calidi verò eſt, ut ſuperiora in maribus majora ſint Mulierum verò natura frigida, & frigidum ad inferiora tendit, quo fit, ut inferiora mulierum majora & graviora ſint, & ideò gravantibus magis partibus tendunt ad lucem.

Pro-

LXXIII.

Propter quid mulierum multitudo ſub aliquo duce ſine tumultu duci non poteſt?

An quia natura eorum inſtabilis eſt: Eadem ſiquidem ratione Philoſophus aſſeruit. Paſtores capris non conſtituere ducem. quippe quia eorum natura non ſtabilis, ſed lubrica atque mobilis eſt. An quia mulier natura garrula eſt, & maledicentior, & mordacior? querula prętereà, anxia, & magis deſperans, quàm vir, atque imprudentior & mendacior.

LXXIV.

Quamobrem Raphanus digeſtioni, aliarumque rerum maximè confert, cùm tamen ipſe indigeſtus remaneat?

Utrum, quia ſubſtantia ejus, ex difformibus partibus conſtat? Sunt namque in eo particulæ quædam tenues, digerendis cibis ſatis accommodatæ; quibus reſolutis, remanent particulæ denſæ, quę actionem caloris dirigentis ſubterfugiunt.

LXXV.

Quam ob cauſam campanâ ſonante, ſi baculo aut clavo quieſcente tangatur, ſæpe frangitur?

Utrum, quia tunc quidem tremulus motus in ea gignitur? quo fit, ut omnes ejus partes extra naturalem poſitionem conſtituantur, quem motum momento deperdere impoſſibile eſt. Admoto igitur impedimento particulæ extra proprium ſitum manenti, duorum laterum neceſſè eſt contingat: vel quo motus momento diſpereat, vel quod pars illa cedat

per ſui ſtructuram. Primum autum fieri non poteſt, quapropter neceſſariò aliud ſequitur:

LXXVI.

Propter quid ciconiæ ante cibum ventrem comprimunt, poſt cibum verò ſolvunt?

Utrum, quia ſui ſtipatione infirmum ſtomachi orificium claudunt, obdurantque? Quapropter ante cibum aſſumptum ventris profluvium conjungunt ſtringuntque: ſi verò poſt cibum occurrant partes ſuperiores ventris, eàdem ſtipatione comprimunt, quo fit, ut partium ſuperiorum compreſſione totus cibus extrudatur & perfluat: idem etiam in conſimilibus fructibus evenit.

LXXVII.

Propter quid ſcindentes ligna, facilius ſcindunt ſecundum ſemitam longitudinis ex transverſo?

An quia in ligno aliquæ particulæ oblongæ intenduntur? quemadmodum villi in animalibus, quæ per directum progrediuntur; quo fit, ut in ſciſſione ipſa, una pars aliam ſibi propinquam trahat.

LXXVIII.

Propter quid haſta percuſſa ex uno extremo, facilius pervenit ſonus ad aurem alicujus in alio extremo directè conſtituti, quam ad aurem alterius magis propinquam hoc percuſſo à latere exiſtentis?

Utrum quia, ut dictum eſt, in ligno meatus quidam oblongi ſunt, per directum extenſi, aere repleti, illi autem ex tranſverſo, aut à latere non progrediuntur? quapropter percuſſa ha-

haſta aut trabe in uno extremo, aer in prædictis meatibus latitans recipit ſonum. Cum autem liberius exire nequeat ſonus, facilè defertur ad aurem, in alio extremo conſtitutam è directo, à latere autem meatus illi non progrediuntur, quare ſonus illi modò percipi nequit ita diſtinctè.

LXXIX.

Propter quam cauſam tempeſtate noſtrâ non ſunt viri in unaquaque facultate celeberrimi?

An quia, ut Sapientibus videtur, natura hominum diminuta, & imbecillis eſt? & ut Solino videtur, Corruptâ ſucceſſione, proles noſtri temporis per naſcentiam fit deterior? An quia à principibus viri virtute præditi parvipenduntur? Virtutis autem ſublato præmio, nullus eſt, qui virtutem amplectatur? An aliter reſpondebo, Mundum qualibet ætate perfectum eſſe, nullumque eſſe momentum, quo his, quæ ad ſui decorem, perfectionem atque integritatem attineant, cereat? Non enim totius habitabilis terræ perfectio nobis innoteſcit, An ita natura comparatum eſt, ut ſemper poſterius de ſuo tempore conqueratur?

LXXX.

Propter quid apud principes adulatorum plurimum valet autoritas?

Utrum quia, ut Plutarchus retulit, autoritate Platonis, ſeipſos diligunt? Nimius enim verò & immoderatus ſui ipſius amor adulatores admittit, illiſque credere cogitur. An quia, ut noſtra fert ſententia, carent lumine mentis?

Nam & in volucrum, & cœleſtium genere animalia ſunt, quæ propter ſuæ naturæ pravitates, fœtidis gaudent, quorum etiam intuitum dies excæcat, nox illuſtrat.

LXXXI.

Propter quid Philoſophi noſtrę tempeſtatis, magna ex parte ſunt depravatis moribus?

Utrum, quia vilipendio ſunt principibus? Aut, ut ratio videtur, quapropter Philoſophiam ipſam falſis criminationibus proſequuntur, credentes ſe talia pręmia referre, quia Philoſophię fuerunt obſequuti, quare à virtute ad vitia deficere compelluntur. An fortè quia errore ducti, credunt totam Philoſophiæ veſtem ſibi vendicaſſe, arreptis quibuſdam ab ea panniculis? Quare à nobis rectius Sophiſtę, quàm Philoſophi nuncupantur. Hercules, Philoſophorum intereſt infracto animo eſſe in utraq; fortuna. Malè quippe philoſophetur, qui Philoſophiæ dediti ſunt, ut à principibus honorentur, & eorum deſiderium, non à natura dirigitur, ſed errore & impetu falſæ credulitatis impellitur.

LXXXII.

Propter quid irati in principio expalleſcunt, poſteà verò rubent?

An quia ex appetitu vindictæ, propter rem contriſtantem, calor & ſanguis ad pręcordia revocantur, quare neceſſe eſt, partes exteriores palleſcere. Ubi verò decreverunt executioni mandare, quod appetunt, calor etiam ſanguinis ad partes exteriores progreditur, quare ab eis tunc maximè timendum, atque cavendum eſt.

Cur

LXXXIII.

Cur qui habent raros dentes & paucos, ſunt brevioris vitæ?

Utrum, quia argumento ſunt generationis primordia fuiſſe debilia? namque ſi informativa virtus conſtitiſſet, & materia fuiſſet obediens, talis raritas minimè in dentibus appareret. An judicium eſt hoc denſum eſſe os capitis, quo cerebrum in validum eſt, quare minus ſit ſpirationibus opportunum, ita quod celeriter putret; ut quod ſua natura humidum ſit. Nam & cætera, cum non moventur, atque exhalant, facilè corrumpuntur. Quo etiam fit, ut homo capite piloſo maximè ſit, & diutius quàm fœmina vivit, futurarum ſui capitis beneficio. An quia cibum malè conterunt? Cibi autem illa minutatim diviſio facit, ut calor facilius conficiendo expediat.

LXXXIV.

Cur ſerpentes pene & teſtibus carent? Utrum, quia cruribus carent, idcirco pene carent, teſtibus verò, ob ſui corporis longitudinem?

LXXXV.

Cur ſerpentes præ cæteris ejuſdem generis animantibus, caput vertere adverſum, reliquo quieſcente corpore valent?

An quia inſectorum modò ſtructura volubili conſtat, & vertebras cartilaginoſas & flexiles habent? Evenit igitur ſerpentibus neceſſariò, hac de cauſa. Melius verò, ut ita vitare poſſint, quæ ab adverſo noceant, cùm

enim præ longo ſint corpore, & pedibus careant, inepti ſunt ad convertendum tunc, dum contra ea, quæ à tergo incurrant: nihil enim utilitatis eſſet, ſi caput erigere quidem poſſent, nam agere nequirent.

LXXXVI.

Cur Chameleo variis coloribus immutatur, & multiformis efficitur?

Utrum quia, ut Philoſopho videtur, Omnium oviparorum pedeſtrium tenuiſſimus eſt, quippe qui omnium maximè inopia ſanguinis rigeat? Cauſa ad mores animæ ejus referenda eſt: pro nimio namque metu multiformis efficitur. Metus enim eſt reſtringere per inopiam ſanguinis caloriſque.

LXXXVII.

Quamobrem crura, fœmora ſuræque hominis carnulenta ſunt; cùm cætera animalia non modò viperea, verum etiam quæ cruribus conſtant, vacua carne hæc habeant? Nervoſa enim, oſculenta, ſpinoſa, rigida.

Utrum, quia homo ſolus animalium erectus incedit? Ut igitur facilè ſuſtinere ſuperiora poſſet, Natura corpulentiam parti ſuperiori dempſit, inferiori addidit. Ita nates carnoſas fecit, & fœmora & ſuras.

LXXXVIII.

Proptor quid animalia multum pinguia, citò ſeneſcunt citoque intereunt?

Utrum, quia parum ſanguinis habent, eum copia ſit aſſumpta ad pinguedinem? Quæ autem parum ſanguinis habent, hæc ad interitum ſunt opportuniora. Interitus quædam

ſan-

ſanguinis inopia eſt, quodque parum poteſt affici, tùm à frigore quolibet, tum à calore facilè poteſt.

LXXXIX.

Propter quid ſolus animalium homo erectus incedit?

Utrum, quia naturà calidiſſimus eſt? An quia, ut *Philoſopho* videtur, ejus natura atque ſubſtantia divina eſt? Officium divini eſt intelligere atque ſapere, quod non facilè eſſet, ſi vaſta corporis moles accederet. Pondus enim tardiorem reddidit, & mentem & ſenſum communem.

XC.

Propter quid caro oſſi contigua, ſuavior eſt guſtui?

Utrum, quia per compenſationem contrarii recipit temperiem? Natura ſiquidem carnis calida & humida eſt, oſſis verò frigida & ſicca eſt. Quare ex extremis contrariis medium provenire neceſſe eſt.

XCI.

Cur inter comedendum loqui vetitum eſt?

Utrum quia ante gulam, per quam cibus & potus devoratur, arteria poſita eſt, ad quam ſpiritus ad pulmonem proficiſcitur, hæc autem à cibo vel potu ingrediente infeſtatur? Attamen natura ad hoc molita eſt minorem linguam, ſive lingulam, quæ arteriam operiret, hæc autem aperitur, dum loquitur: Quare cibus eam facilè ingredi poteſt, quo fit, ut ſtrangulationis, & tuſſes facilè invitentur. An quia locutio, cibi debitam impedit contri-

tionem? Quo fit, ut cibus non congruè digeratur.

XCII.

Propter quid vinum aqua commiſtum aliquo modo citius inebriat?

Utrum, quia aqua citius vinum diſcurrere facit? Eadem ſiquidem ratione muſtum, teſte Avicenna, citius inebriat, quàm vinum, quia pars aquæ ei commiſta ipſum penetrare facit.

XCIII.

Quam ob cauſam magnates & in maximis dignitatibus conſtituti, plerumque podagra & articulorum doloribus infeſtantur?

Utrum, quia diverſis cibariis ad ſatietatem ventris ſeſe ingurgitant? Atqui Medicorum ſententia, Nihil deterius eſt, quàm diverſa cibaria ſimul aſſumere, & poſteà magnam ejus, quo comeditur & bibitur, temporis moram in comedendo apponere. Audit enim, poſtremo adveniente cibo, primum jam aliquo modo eſſe confectum, quare citiùs cibationis particulæ conformitates non retinentes, inde crudi & mali humores oriuntur, per articulos decernentes. An propter vini puri exuberationem, & ocium immoderatum, exercitiumq; incongruis temporibus factum? An propter Venereum uſum intenſum, qui virtutem digeſtivam maximè proſternit? Hercules, his maximè timendum eſt, ut divinè *Plotinus* aſſeruit, ne extirpeſcant, & ut nobis videtur, ne etiam bruta fiant, quandoquidem gulę & ventri, pecudum & ſtirpium more obnoxii deditique ſunt.

Cur

XCIV.

Cur ſubita morte occupantur, qui nimiâ & immoderata craſſitie ſunt obſiti, & præſertim in prima ætate?

Utrum, quia venæ eorum ſunt anguſtæ, quare à compreſſione pinguedinis obturantur, ut ſpiritus liberè diſcurrere non poſſit, quapropter calor innatus extinguit, cum etiam aeris refrigerationem non capiant: unde Medicorum ſententia, maximè illis timendum eſt, ne venæ rumpantur, aut calor naturalis ſuffocetur.

XCV.

Propter quid in corporibus valdè pinguibus phlebotomia difficilis atque ſuſpecta eſt?

Utrum, quia venas exiles latentioreſque habent? An quia pingue quodlibet exangue eſt, ut Philoſopho videtur.

XCVI.

Propter quid ex Ariſtotelis ſententia, Senſibiles virtutes in corde ſunt conſtitutæ, ex cerebri tamen poſterioris læſione memoriæ, ex anterioris vero, imaginativæ, ex mediis autem impoſito, cogitativæ accedit depravatio?

Utrum, quia cerebum à natura inſtitutum eſt, ut cordis calorem refrigeret: quo fit, ut diverſi ſui partibus, diverſi mode virtutibus, organis in corde exiſtentibus deſerviant. Non enim una eademve menſura caloris omnis animæ actus profluit.

XCVII.

Cur plerunque contingit, ut filii, qui non le-

legitimo thoro concipiuntur, ſolertiores parentibusque magis ſimiles progenerentur?

Utrum, quia virtutes animæ parentium ipſo in coitu ſunt vehementer itentæ? Tales enim maximo amore ſe proſequuntur, quare cùm eorum affectus non diſtrahantur, neque fœtus natura variabit, idque maximè veritatem continet, ubi cum tranquillitate animi copulantur: nam coeuntibus cum timore, & ira ſeu triſtitia, plerunque filii diſſimiles gignunt.

XCVIII.

Quàm ob cauſam, cùm mors natura contingat, hominibus quàm cæteris animalibus terribilior eſt?

Utrum, quia natura hominis, ut Philoſophi fert ſententia, non ſolùm vivendi, ſed etiam benè vivendi rationem obtinuit? Solùm quippe hominum genus, ex animalibus nobis cognitis, Divinitatis eſt particeps, cæteris autem animantium ſola viſus cura eſt, in quo, ut Plinius inquit, ſponte natura benignitas ſufficit, uno quidem vel cunctis præferenda bonis, quod de gloria, pecunia, ambitione, ſuperque morte non cogitant. Quare cùm hominum genus nobiliori vita privetur, dum occidit, gravis & permoleſta ſibi præ cæteris mors eſt. An quia cætera animantia, circa præſentia verſantur, ſolus animalium homo futura perſpicit?

XCIX.

Cur ſi mors naturâ evenit, ultimum terribilium eſſe cenſetur?

Utrum,

Utrum, ut Philoſopho videtur, quia ultimum eſt, nec quicquam bonum vel malum præterea mortalibus videtur eſſe? An quia inſequitur naturam, quæ neceſſitatis eſt origo, non autem naturam formæ & finis, à qua eſt boni ratio, quam cuncta appetunt? An fortè illis ultimum terribilium mors eſt, qui ita vivere inſtituerunt, ut immortales eſſe cogitarent? An illos maximè terrore quatit, qui pravis motibus vitam peregerunt? At qui virtute vixerunt, illis quippe mors moleſta non eſt, quod etiam Poeta ſentit.

La morte eſſina una pregioni ſcura.
Agli animi gentili, agli, altierie noja,
Chianno poſto nel fango ogni lor cara.

An qui violenta & immatura morte occupantur, maximè triſtantur? Quippe qui ſenio confecti interierunt, ſive dolore ferè & terrore moriuntur. Sed quippe natura eſt, ſicut lucerna extinctioni parata Et, ut divinus inquit Plato: Inter omnia mortis genera, mors, quæ natura provenit, leviſſime, & cum voluptate potius, quam cum dolore contingit.

C.

Quam ob cauſam, cùm homo ſit naturæ terminus, aliorum comparatione brevi vita a natura donatus eſt? de quo etiam Poeta conqueritur.

Vivere cornices multos dicuntur in annos,
Cur nos anguſtâ conditione ſumus?

Utrum, quia noſtris illis conditoribus, de noſtro generere conſultantibus, rerum caducarum perfectio, duratione temporis minimè

menſuratur? Accidere enim inanimatorum corpora, multò quàm hominum, ratione præſtantiora eſſe. Et,ut Philoſopho datur cernere, *Præſtat brevi tempore lætari vehementer, quàm longo leviter.* An quia natura de poſſibilibus facit, quod melius eſt ſemper? Quod fieri autem non potuit, ut humani corporis conſtitutio,& diuturnitati, & animæ operationibus conveniret. Nam Sapientum autoritate, aliud temporamentum requiritur, primo vitæ, & aliud primo vitæ operibus. Utrum diuturnioris, ſed deterioris, an brevioris quidem vitæ, ſed melioris efficerent, viſum fuit, ut divinus inquit Plato, Vitam brevem melioremque diuturniori & deteriori eſſe omniò anteponendam.

CI.

Quamobrem nudum & inermen hominem natura primò genuit?

*A*n quia natura nihil irrationabiliter neque fruſtra. *C*ùm autem homò prudentiſſimus ſit rectè plurimus inſtrumentis uti poteſt. Manus autem non eſt unum inſtrumentum, ſed multa. Quare non benè ſentiunt, ut *P*hiloſophus aſſerit, qui inquiunt, hominem nobilem, ſed deterrimè omnium animalium conſtare: nudum enim atque inermen creatum referunt. Cætera animalia tamen commune auxilium retinent, idque nullo pacto permutare poſſunt, at homo pro ſui arbitrio, arma permutare poteſt. Manus enim, & ungula, & cornu, & haſta & enſis, & quidvis aliud genus armorum eſt. Cum igitur

tur homo intellectu & manu à natura donatus ſit, de ſua nuditate & conditione conqueri non poteſt. An materiæ nobilitas, ex qua corpus humanum fuit conſtitutum, cornibus aut aliis conſimilibus inſtrumentis non erat idonea?

CII.

Quæſivit dominatio veſtra, propter quid vinum poſitum in vaſe conſtituto in aqua, ſalinitro commiſta maxime refrigescit?

Dixi cum aliis, hoc fieri per antiperiſtaſin, viam, per quam contrarium à contrario intendi ſòlet. Verum, quia teſte Philoſopho? veritatis cauſa Philoſophornm intereſt, nedum aliorum, verùm etiam propria dicta emendare, ſicut mihi datur cernere, iſta ſolutio non ſatisfacit. Nam primo de generatione & corruptione actio fit merito contrarietatis, Et tertio Phyſicorum, & nono Metaphyſicæ, omne quod agit, in quantum eſt in actu, & non in quantum eſt in potentia. Et hoc eſt principium per ſe natum, & ab omnibus conceſſum. Manifeſtum eſt autem, quod ſalinitrum non eſt actu calidum. Nam de ſenſibilibus qualitatibus rectus judex eſt ſenſus tactus, à potentia autem calida, quomodo antiperiſtaſis provenire poſſit, non video. Idem aliter dicendum, quod ſalinitrum eſt actu frigidum, & aqua ibi commiſta, eſt vino frigidior. Magis autem frigidum minus frigidum magis refrigerat. Medici cauſam aſſerunt, Salinitrum eſt potentia calidum. Comparatio eſt humani corporis non abſolutè natura. Rhabarbarum benè hominem calefacit,

eit, ſed equum frigefacit. Medicina enim eſt de humano corpore, ut de ſubjecto, & ad hoc non advertebant.

CIII.

Propter quid pleriſque hominum Philoſophia viſa eſt res mirabilis & divina?

Utrum, quia ſicut corporis medicina, ita, ut inquit lucidiſſimus Themiſtius, animæ Philoſophia perfectio eſt: An quia Philoſophiæ ſtudium noſtrum, erga Deum obſervantiam, pietatemque multum adauget, & tanquam concalefacit? Nam cognitis his perfectè, quæ facit Deus, in admirationem, commendationemque ſui, omnium animos atque corda convertit: hanc autem admirationem propenſa charitas, fides ac ſpes certiſſima conſequuntur. An quia mirabiles quasdam, ut Philoſophus inquit, voluptates ſui certitudine & ſinceritate parit? An quia nos ſimiles Deo reddit? An quia per eam, ut Senecæ ſententia tulit, unus homo contrahitur liber.

CIV.

Cur tyranni literatos viros odio perſequuntur.

Utrum, propter morum diſparitatem? Enim verò ita fortuna tulit, ut ſemper ab improbis moribus laceſſita injuriis ſapientia fuerit. An quia verentur, ut ſeditionem in civitatibus ſua doctrina aut autoritate moliantur? An quia literis culti, ſæpe eos ſuggillare, & mores eorum taxare conſueverunt? Nam ut inquit Plato, Poetæ quippe vim maximam inter utramque partem habent, & ad laudandum &

vi-

vituperandum. Quare unusquisque, cui fama curæ eſt maximè ſibi cavere dicitur, ne Poeticum hominem infenſum habeat. Quod maximè Minois exilio confirmat, quippe qui cùm Homeri & Heſiodi autoritate laudatiſſimus fuerit, cujuſdam tantùm Poetæ odio fama apud homines increbuit, ipſum rudem durumque hominem extitiſſe. Et an quia tyranni plus ſe virtute præditos divitiis ſuperare credunt, quàm ipſi ab illis literis doctrina ſæpe ſuperantur? Proinde evenit, ut anima, quæ mutuam quandam compenſationis, divinarumque literarum paritatem expoſtulat, conjungi ac conciliari non poſſit.

ALEXANDRI APHRODISEI SUPER

nonnullis Phyſicis dubitationibus Solutionum Liber, Angelo Politiano intreprete.

PRoblematum alia ſuâpte natura credibilia ſunt, & nota, omniſque ambiguitatis & quæſtionis expertia. Quis enim quæſo mentis compos dubitet, cur volatilibus pennas natura ſit elargita? Quivis enim prudens dixerit, fomenti gratia quaſi veſtimentis primò circundata: tum ob ſpeciem, quemadmodum greſſilibus quoque animantibus dati ſunt villi, ſerpentibus cortices, ſquamæ aquatilibus, aut teſtæ? velut iis, quæ teſtacea nuncupantur. Cur præterea aliis quidem cornua, aliis autem aculeos, aliis acutos ungues aut roſtra aut ejuſcemodi quippiam tribuerit? Hæc enim omnia, velut agnatis quibuſdam haſtilibus, quo ſeſe ipſa ab injuria tuerentur armavit. Cuique omnes natura fructus, omniaque ſemina tum ad generandum, tum ad genus excipiendum fabricala ſorent, corticibus, atque corporibus quibuſdam mollibus, aut lignum aut cutem imitantibus communivit, & quaſi intra ſcriniolum occuluit, ut rigoris aut caloris, aut animantium etiam quorundam injuriam devi-

devitarent. In pleriſque autem ſeipſum quidem involucrum relinquit inutile, ſed idoneum cibatui paravit. Plantas verò ipſas frondibus, cortice, cæteriſque ſimilibus, in pennarum, villorumque vicem conveſtivit: ut quas præviderat immodico frigore aut æſtu offendi poſſe, & labefactari: quin & earum quaſdam etiam ſpinis quaſi ſpiculis armavit, quibus animantium injuriam propulſarent. Florumque varietate partim ad ſpeciem, atque ornatum coronavit: partim uti vice præconum inſtantem fructuum paritudinem præmonſtrarent. Igitur qui nota hæc dilucidaque ſibi poſtulant explicari, ſunt procul dubio mente capti. Qui autem ambigunt, an ſit igni inſitus calor, ii tangendi non habent ſenſum: qui dubitant utrum natura ac provida ratio conſulat iis rebus, quæ oriuntur, & occidunt, quique ordinem, motum, poſitum, ductum, colores, cæteraque his ſimilia non credunt, ſupplicio digni ſunt. Hæc itaque ſuapte natura nota ſunt. Alia rurſus inexplicabilia penitus, ſoli cognita Deo, ſcilicet illorum eſſentiæ autori. Nam artifex, qui ſit opus aliquod ſolertius machinatus, omnes illius actuum tenet cauſas. Qui verò ejus operis ſit imperitus, cauſas quoque ipſas penitus ignorat. Inexplicabiles autem quæſtiones hujuſcemodi ſunt: cur quibus alæ, aut plantæ, aut latera titillantur, rident: curvè nonnullis, cùm marmora atteruntur, aut ſecantur, cùm ſtridet ferrum, aut limatur, ipſo confeſtim auditu dentes obtorpeſcunt. Cur dentium ſtuporem, qui è frigidis

gidis pomis proveniat, portulaca tamen, quæ & ipſa frigida eſt, ſanat. Neque ſunt contrariorum contraria medicamenta, ſed ſimili. Aut cur magnes lapis ferrum tantùm attrahit, deque ejus ſcobe vivificatur: ſuccinum verò tantum folia arida ac feſtucas aggregat, eisque adglutinatur. Et Leo ſolùm gallinaceum pavet. Villaris autem gallina edito ovo, feſtucis undequaque corpus purificat. Coturnices veratro, quod toxicum homini eſt, veſcuntur, ſturni cicuta. Scammonia flavam bilem trahit, colocyntha verò & agaricum & album veratrum, euphorbiumque & coccus Cnidius pituitam: nigrum autem veratrum, & epithymum, nigram bilem. Quibuſdam vero ſedatur venter iis, quæ perpurgant: contrà verò iis, quæ ſedant, perpurgantur. Tum alio alius cibatu magis delectatur, eumque faciliùs concoquit. Quis autem ignorat marinam torpedinem, vel per ipſam lineam torporem in corpus adigere? Mulum autem ſi manu contineatur, contra torpedinem valere? Infinita denique hujuſcemodi enumerare poſſim, quæ ſola experientia cognoſcuntur. Quapropter & a medicis proprietates arcanæ appellantur. Quod enim de horum proprietate affertur, arcanam propemodum eſt ad cauſam afferendum. Pravè enim quidam ſolutiones horum proponunt quam plurimas, quæ inutiles penitus improbabileſq; ſunt. Dicunt enim purgatoria, quæ calidiſſima ſunt, humores trahere: quod procul dubio falſum eſt. Oportet enim quodcunque eſſet calidum, idem & purgato-

gatorium eſſe. Nunc autem piper cùm ſit calidum, non trahit, ſed concoquit, ſolidatque: Eodemque modo & maſtiche & aloe. Dicimus itaque non reciprocari ſermonem. Nam ſi quocunque alvus ducatur, id habitum quidem calidum, vim autem vacuo faciendi habet, non continuò tamen quicquid eſt calidum, vim quoque habet ducendæ alvi. Dicunt autem & ſtruthiocamelum ferrum concoquere: non proprietate quidem aliqua, ſed caliditate, quod profectò abſurdum. Leo namque qui hoc animante calidior eſt, ferrum tamen non concoquit. Neque verò apud medicos tantùm proprietates quædam ſunt, ſed apud Philoſophos item ac Grammaticos: ut ea, quæ πάθη, hoc eſt, affectus appellantur, uſibus adnotata. Quocirca de iis duntaxat quærendum, quæ medium quemdam locum obtinent: neque ad cognoſcendum ancipitia ſunt, & ſub explicationem cadere poſſunt. Quæ enim falſa dicuntur, ea ſunt omnibus nota quæ veritatem præ ſe ferunt, horum nota ſunt alia & conſpicua, alia obſcura & inexplicabilia: partim verò mediæ cujuſdam ſunt naturæ, quorum nunc expoſitionem aggredimur. Omne autem problema aut ex habitu ipſo ſolvendum, aut ex coagmentatione, aut ex actione, aut à conſenſu erga aliquod ſimile, aut à calore, aut per ſenſus deceptionem, aut per nominis participatum, aut quà ejus rei vires magis minuſq; agunt, aut quà durius quidque rariusvè ſit: aut majus, aut minus, aut à tempore & ætate & conſuetudine, aut eſſentiæ ratione, aut ex

ex accidenti, aut ſimilium rerum conditione: qualia quæ in problematis dicuntur. Invenies igitur, ſi has tibi præponas formulas, quacunque de re ambigatur, vocare in diſpoſitionem poſſis. Quoniam verò haud iis tantummodò acquieſcendum eſt, quæ ad univerſum feruntur, ſed tanquam manu ducendus, qui eruditur, age jam ſolutiones ipſas aggrediamur.

1. CUr Homerus homines à canicie temporum, Poliocrotaphos appellavit? Quia jam ut plurimum inde cani incipiunt, quia priora capitis humiditatis pituitatisq; plus habent, quàm poſteriora.

2. Cur tantùm priora capitis calveſcunt? Quia mollia laxaque ſunt. Cùm igitur capillus ob naturalem ſiccitatem careat alimento, facilè iis partibus defluit: haud enim hæret, velut in occipitio, quippe quod & ſiccius ſit, & conſpiſſàtius.

3. Calvitium autem à ſiccitate ortum habet. Hinc fit, ut qui criſpo ſunt capillo, quod ſiccius caput habeant, citius calveſcant: ſerius caneſcant, ſiccitate conſumente excrementa pituitatis. Sunt & vigiles præter cæteros. Somnus enim ex humiditate oritur. Argumento ſunt infantes humidi pariter & ſomniculoſi atque excrementoſi. Et humidi affectus, & ebrioſi, & qui crebrius lavantur, minus quoque excernunt, per meatus, ut per nares, per os, per oculos. Qui verò molliores ſunt capillo, ut quibus eſt humidum caput, eis contra evenit. Rarius enim aut nunquam calveſcunt.

Sed

Sed & vitio generis calvitium accidit:ut & Podagra, & alii quidam affectus cognatione generis excipiuntur. Citiùs autem caneſcunt, ſomnolentiq; ſunt atq; excrementoſi. Cani autem albi: imitantur enim pituitæ calorem, unde ipſum ortum habent. Sunt interdum propemodùm aureoli, cùm vitellinabilis pituitæ ſit immixta.

4. Cur ſenes excrementoſi & vigiles? Excrementoſi quidem ſunt, quoniam ætate frigidiores imbecillioreſque cùm ſint, minus concoquunt, multaq; per meatus excrementa contrahunt: Cùm verò ſolidis ipſis corporibus ſicci ſint, vigiles quoque ob idipſum ſunt, Infantes enim & foraminum contextu, & ſolidis ipſis corporibus humidi ſunt.

5. Cur pueri, qui & humidi natura ſunt & excrementoſi, canos tamen minimè producunt? Quoniam humidi calidique ſunt Pituita autem humida eſt ac frigida ſinciput quoque habent quaſi cuteum, & rarum, quo ſuperflua excernantur. Id ætate dureſcit, fitq; oſſeum, & denteſcit. Unde & futuras ei natura poſtmodum tribuit, per quas ſupervacui vapores efflarentur. Solutio ex habitu & coagmentatione corporis.

6. Cur fœminæ ac ſpadones ocytus caneſcunt? Fœminæ quidem, quod & naturæ ſunt frigidæ, & minus exercentur, pleraque ob id excrementa contrahunt, ac tum præcipuè, cùm earum jam menſes quieverint. Spadones verò quòd ſemem jam non edunt, ſed excrementum, quo ſemen gigni debuit, per univer-
ſum

ſum corpus unà cum ſanguine diffundunt : id autem pituitatis naturam habet.

7. Sed cur pilis carent? Fœminæ quidem quia frigidæ ſunt, denſosque habent corporis meatus : frigus enim condenſat. Hinc fit, ut qua pili erumpant via nulla ſit : Spadones autem quia humidi ſunt, & ſupra modum excrementoſi : hac enim ratione fit, ne locis humidioribus herbæ pullent : neque item ſiccis & lapidioſis, ut quæ calvitium imitentur:

8. Cur ſpadonibus ut plurimum pedes diſtorquentur? quoniam ob eam, de qua diximus, ſupervacaneam humiditatem, partes corporis uvidas molleſque habent, atq; ob id imbecilles, quapropter cùm totius corporis onus crura non ferant, torquentur, ut ſi pondus arundini injicias, flectatur. Nam quod durum ſiccumque eſt, idem & validum eſt, & actioni renititur: quod autem humidum ac molle, id actioni reſiſtere nequit, eſt enim imbecillum. Argumento ſunt & ligna & coria & vimina, atque item homines. Balneis enim & poculis debilitantur, victus norma modicè deſiccantur, validioreſque ad agendum evadunt. Quo efficitur, ut ſpadones muliebres quodammodo ſint atque imbecilli : ſimiliterque vinolenti, ut quibus pituitatis plurimum inſit. Nam cùm frigidi ſint, contrarium in ducere affectant. Vinum autem ſuæpte naturà calidum eſt. Æthiopes verò, utpote naturæ ſiccioris capillo ſunt criſpo, macilenti, muſculoſi, validi ad opus.

9. Sed cur voce acutá ſunt? Rurſus enim hu-

humiditatis copia implens aſperam arteriam, eam coarctat: hinc ſpiritus per anguſtum means, vocis acuitatem efficit per latum, ut in viris granditatem? Argumento eſſe poſſunt foramina tibiarum. Abundare autem illos humiditate manifeſtum eſt, quod leves ſunt, quodque iis in muliebrem modum mammæ increſcunt, palpebrasque habent turpidiores, ſuntque tenui capillo & incano.

10. Cur nonnulli ſpadones rem veneream modo aliquo affectant atque interdum amant? Quia multis circa pubertatem exacti teſtes, confractivè fuerant, ſuntque velut imperfecti ſpadones: quidem verò calidiori ſunt jecore, ac ſeminalia vaſa magna habent. Imaginantur itaque uſum: quod verò cupiunt minime per agunt: verenda enim ipſa marcent. Nam qui ea inflat ſpiritus, perpetuò deficit: is à ſemine ortus per ſeminales meatus iis de partibus ferebatur, quæ circa lumbos ſunt: at in pueris concreti ſeminales meatus occæcati ſunt.

11. Quare cùm tres humores ſimplices uniformesque ſint, non tamen tres uniformes ægritudines ſimplicesque progenerant, ſed plures? Duplices enim in unoquoque accidunt, perpetuæ ſcilicet & interciſæ: quia non ex ipſis tantùm humoribus morborum differentiæ proveniunt, ſed & à locis. Calidus enim & tenuis humor acutam, brevem, atque ardentem gigni febrem: frigidus autem & craſſus, obtuſam & longam. Sic & lignorum, quæ quidem ſunt calida & aridiſſima, veluti lauri

lauri, tedæ, & olivæ ingentem excitant flammam, citiuſque exuruntur: Viridia verò & humida humilem & fumidum ignem edunt: ſeriuſque exuruntur. Rurſus ſi locus quidam ipſe ſpacioſus ſit atque amplus, citiùs ac maximè accendit humorem, quoniam cum ſimul ſit coacervatus, unà omnis penitus putrefactus accenditur. Si verò tenuis ſit & anguſtus, cùm univerſum minime capiat humorem, ſed particulatim, qui non ſimul omnis ſit, putreſcat: febrim quidem exilem excitabit, ſed quæ diutiùs ardeat. Admiſce igitur humoris naturam ad locum, omnemque earum febrium differentiam invenies, quæ ex humorum putrefactione proveniant. Si enim in magnis conceptaculis, ut in venis puta, & in arteriis, flavabilis putreſcat, cùm calida ſit, ardentiſſimam, acutam & brevem accendet febrim, qualis eſt, qui ardor appellatur. At ſi in parvis venis & arteriis, quæ circa cutem ſunt, putreſcat pituita frigida, languidam & diuturnam efficit febrim, ut quam quotidianam dicunt. Præstereà extrema quoque ipſa permutantur. Quod ſi in parvis conceptaculis flava putruerit bilis, febrim facit minorem brevemque, ſed longiorem tamen aliquanto, quàm eſt ardor, ut tertianam aut ſimpliciter acutam. At ſi in magnis conceptaculis petuita putruerit, breviorem aliquanto faciet quàm eſt quotidiana. Similiter & nigrabilis, ſi in magnis putreſcat venis, quoniam uno tempore univerſa quodammodo exuritur, brevem faciet febrim per quartos: ſi autem in parvis, diû

diuturniorē quartanam. Concurrunt enim frigidus humor & craſſus, & alterationi minimè idoneus, atque anguſtus locus, qui univerſam ſimul bilem exuri conſumique non ſinit.

12. Cur nonnullis, ubi pudore afficiuntur, ſudant alæ? Quia maximè raris ſunt meatibus. Natura autem avocans ab eo ſeſe, quod ſit honore aut reverentia dignum, modicè unâ cum ſanguine maximas in venas arteriasque fugit, eæque repletæ diſtillant. At gaudentibus evenit, quoniam remittitur, rareſcitque corpus, maximè vero alæ.

13. Cur timentes pallent? Quoniam natura noſtra, eaque vis, cui corpus eſt curæ, nihil ab externis pati vult. Atque ut nos intra domos confugimus, ita & ipſa ſecuritatis ſatagens, in corporis intima, quoad ejus fieri poteſt, ſe conjicit. Atque & ſanguinem, quem pro cibo, vehiculoque habet, eum ſcilicet, qui optimus ſit, ſecum trahit. Is autem eſt ſanguis, qui roſeo cutem purpureoque calore inficit.

14. Sed cur iidem tremunt? Quoniam animalis virtus conſenſu naturæ nervos deſtituit, quos prius ſervabat: ii verò corporis partes tremoris expertes ſecant, hinc fit, ut & venter iis ſolvatur, & mingant de improviſo. Nam qui maſculi excrementorum meatus obſtruunt, nunc imbecilles facti, ſupervacanea remittunt.

15. Cur, quos pudet, rubent? Quia natura ſua ſponte, conſcientia quadam, quod honore ſit dignum, reverita quaſi nobilis puella. modicè ſeſe in corporis intima contrahit. Movetur

autem unà ſecum ſanguis ac funditur: unde etiam cutis ſanguinis colore inficitur. Alii ſanguinem à naturà obtendi, quaſi velamen dicunt, quemadmodum & nos à natura, velut admoniti, manum faciei prætendimus.

16. Cur nonnulli metu extincti? Quoniam fugiens ſupra modum naturalis virtus, ſeque in corpus intimum unà cum ſanguine recipiens, inſitum vivificumque calorem eum, qui propter cor gignitur, confeſtim ſuffocat, atque extinguit: quare & corruptionem inducit: Hac enim ipſa ratione & oleum, cùm plurimum ac ſubito in lucernæ flammam inditur, eam extinguit; habet autem ſanguis, qui eſt in corde; proportionem ad lucerne flammam. Quoſdam & immodicus dolor ratione eâdem exanimavit. Reſolvitur enim inſiti caloris internus motus, ut operculo abjectus ignis extinguitur.

17. Cur multi vinolentiâ? exanimati? Quia rurſum vini copia naturalem vivificantemque virtutem caliditate ſuffocat. Præcipuè verò hoc iis accidit, qui inſitum calorum exiguum atque imbecillum poſſident. Quod enim & plurimum eſt & validum, reniti magis poteſt, ſpacioque temporis copiam coquit: quemadmodum & flammæ copia majorem quoque olei infuſionem tolerat.

18. Cur ſenes tremunt? Quia rurſum naturalium virtutum nervi, ac particularum muſculi, cùm ſufficientem motivam virtutem minimè capiant, haudquaquam pariter ad tolerandum corporis onus adnituntur. Fit autem

tem tremor, quoniam corporis pondus particulam deorſum trahit, animalis autem virtus ſurſum: hoc cùm & fiat ſucceſſione & continenter, tremorem ciet: hinc etiam cernui ingrediuntur, atque ad humum vergunt, quorſum eos natura detrudit: hinc & bacillorum adminiculo pro tigillis ſuſtentantur: obque hanc ipſam virtutem ſtercus de improviſo urinamque dejiciunt.

19. Cur piper & ſinapi integra ſi devores, ventrem minimè excalefaciunt: ſi trita, excalefaciunt?

Quia quæ virtute tantùm, non autem & actu ſuas habent qualitates, aliquo extrinſecus indigent adjumento, ut virtutem in actum producant. Ipſa igitur triturâ attenuata, atque in intimum corpus per meatus penetrantia, tum à ſuâ inſitâ caliditate commota, agunt hoc pacto. Eademque ratio eſt & cæterarum qualitatum. Sunt autem ex iis, quæ per qualitatem agunt nonnulla, quæ actu ipſo qualitatem habent, ut aqua potabilis, ptiſana, lac. Humida enim & frigida ſunt, neque ullo extrinſecus indigent miniſterio ad refrigerandum atque humectandum: ſed ſtatim propereque agunt. Silmiter & ſal & terra ejusmodi: ſiccæ enim ſunt naturæ & virtute & aſpectu & actu. Mare enim & ſalſugo & viva aqua, humida ſunt & imaginatione & aſpectu; ſic ea autem & virtute & actu. Lini verò ſemen, & panis ſicca imaginatione & aſpectu: humida verò ſunt virtute & actu.

20. Cur nonnulli noctu nihil vident, die

vident? Quoniam videndi ſpiritum craſſiorem habent, neque qui aera pertranſire uſque ad viſibile poſſit: noctu verò craſſeſcit, quoniam ſolis abſentiâ refrigeratur. Vel (ut alii dicunt) quoniam interdiu à tenui calidoque aere attenuatur, noctu verò denſatur. In fele autem & hyena & noctua contrà accidit. Interdiu enim nihil cernunt, noctu exactè cernunt. Habent enim videndi virtutem tenuiſſimam, maximeque perſpicuam: quæ cum noctu modico craſſeſcat, ſuſcipiendo objectui idonea fit: interdiu autem atque in claro lumine vehementer attenuata reſolvitur atque diſpergitur, Unde & leones, qui ejuſmodi ferè ſunt, per ſolem ingredi nequeunt, & ignem interdiu cernentes fugiunt. Eſt & eorum videre pupillam vehementer ſplendidam, habentque humida oculorum maximè perſpicua.

21. Cur repentinum vehemenſque gaudium nonnunquam exanimat? Quia vitalis virtus & inſitus calor, cùm immodicè extrinſecus fertur, egeritur, atque reſolvitur: unde & ſudant & rubent: quoniam ſanguis adeſt. Inſitus enim calor atq; ipſe ignis, tum caliditate, tum quod loco ſuo demigrat, ſurſum verſus movetur, rurſum verò pabuli apperitu deorſum. Utrolibet autem horum motuum pereunte, ipſe corrumpitur.

22. Cur dolentes & amantes & iraſcentes ſuſpirant admodum & frequenter? Quoniam dolentium anima ad ipſam doloris cauſam converſa eſt; cupientium, ad id quod cupiunt.

piunt. Iraſcentium, ad id, quod iram iis concitat. Igitur intenta anima ad id, quo movetur, negligit & quodammodo obliviſcitur motivam pectoris muſculis virtutem præbere.

Cor itaq; ipſum neque pectoris dilatatione aerem accipiens, ideoque neque perflatum atque refrigeratum, neq; item contractione excernentes ſingultifica excrementa, quæ de ſanguinis exuſtione giguuntur: dum ſuffocationem metuit, animam cogit, atque admonet, ut quamplurimum muſculis motū præbeat, majoremque inſpirationem atque exſpirationem efficiat, ut majorem quoque vim frigidi aeris accipiat, majoremq; vim excrementorum effutiat, ut quod exiguæ crebræq; reſpirationes facturæ fuerant, idem major una afficiat. Unde & Græcum nomen ſuſpirio ex anguſtia pectoris priſci dederunt, ſuſpirant autem diutius & frequenter: quoniam in id ſemper, quo movetur, converſa eſt. Natûra autem cogit eam, ut aliquando plus motivæ virtutis muſculis pectoris per cor immittat: quod autem in pectore reſpiratio, idem in corpore perſpicua eſt, quę per arterius fit. Similis autem eſt inſpirationis dilatatio, expirationi autem contractio. Sub pulſus vero nomine dilatatio contractioque comprehenditur.

23. Cur iſicium difficilè concoquitur? Quoniam levitate ſua humido pabulo intra alvum innatat, idque per mediam: neque ſeſe ad ejus corpus applicat, quâ applicatione concoctio fit. Tum circa gulam redundat, cujus officium appetitus eſt, non coctio. Extra verò corpus ſi in

in aquam indatur, innatat neque demergitur: quia dum carnes intereuntur, levem concipit ſpiritum, qui corpus in altum expuit, humidisque innare cogit: hinc & lentus eſt, quoniam ſpiritus eſt particeps.

24. Cur antequam balneum ingrediamur, calidum mingimus: cùm diutius in balneo ſuperſedimus, frigidum? Et hoc nimirum, quaſi ad alterius cujuſpiam comparationem: Emiſſá enim urina tepidæ qualitatis eſt, ac modicè calida. Extra igitur balneum, quoniam frigidum eſt corpus noſtrum, quæ urina emiſſa eſt, velut ad comparationem calida eſt, in calido autem, quoniam multò magis corpus, quàm urina calefit, frigida urina videtur: quamvis aliquo modo calida ſit, verumque id eſſe, vel ex eo apparet: Ei enim, qui balneum ingreditur, ut calefiat, ſi calidum ſolum ingreditur, quæ calida eſt aqua, admodum fervida videtur: ſi autem jam excalefactus ingrediatur, non ei fervida videtur.

25. Cur loca maritima fodientes, dulcem aquam invenimus? Nimirum quoniam in mari, quæ tenuior ſit aqua, dulcis eſt: que craſſior, falſa. Tenuis igitur aqua per terræ meatus influens, in ipſa occulitur terra, quam deinde fodientes invenimus. Dulcis eſt autem, quoniam per brumam in aere tollitur. Craſſa verò aqua exſiccata emundataque fit ſal. At in littoribus, quæ meatus laxiores habent, ſalſa invenitur aqua. Excolatur enim eo etiam craſſior maris aqua.

26. Cur putealis aqua per brumam calida, per

per æſtatem frigida eſt? Quoniam quidque ſemper contrarium, ut inimicum, fugit: Frigidum verò & contrarium calido eſſe, & ipſum corrumpere, manifeſto apparet. Igitur quoniam calor per æſtatem aëra occuparit, fugit frigus in intimam terram, atque ob id aquam frigefacit. Per brumam verò quoniam frigus in aëre plus pollet, rurſus calor in intimum defugi, aquamque excalefacit. Contraria enim eodem in loco ac tempore ſimul manere contra naturæ legem eſt.

27. Cur brevi ſtaturá homines proceris ut plurimum ſunt prudentiores? Quoniam conſtipata atque compacto illis eſt anima in univerſo corpore: proceris verò in longitudinem diſtenta reſolvitur. Quapropter Homerus Ulyſſem brevem ac prudentem: Ajacem verò procerum ac ſtolidiorem deſcribit.

28. Cur minus prudentes cum ingrediuntur, ſeſe veluti ſuſpendunt? Quia ut invalidus gubernator haud in rectum navim agit, ita marcidior anima corpus.

29 Cur ſtolidiorum quamplurimi, prudentes gignunt liberos ac robuſtos? Quia ſtolidiores in coitu voluptati magnoperè ſuccumbentes, animam habent corpori magnopere immerſam. Quo efficitur, ut eorum ſemen quamplurimæ virtutis tum rationalis, tum naturalis particeps prudentiores qui naſcuntur, efficiat. Prudentioribus autem atque iis præſertim, qui ſunt eruditi, ſecus omninò accidit. Prudentiæ enim vis aliquid eorum ſemper, vel in re ipſa Venerea reputans, quæ ſint extrinſecus

neceſſaria: ideoque ſuſpendior efficit, ut quod ſemen defluit, quam plurima careat naturali virtute. Hinc ſolvendum, cur ſtolidi atque ineruditi liberos gignant corpore robuſtos, eruditi contra imbecillos.

30. Cur ferarum ſtercus haud ita malè olet? Quia ſicciori minimeque ſupervacaneo utuntur nutrimento, maximeque exercentur. Quin & dorcadum & aliorum quorundam animalium ſtercus, velut aromatum quodammodò imitetur odorem. Hominis igitur ſtercus peſſimè omnium olet, quòd ii & vario & humido veſcuntur nutrimento, idque etiam ſupra ſatiem & intempeſtivè, ei cum minimè indigent. Tum minus exercentur, minuſque quàm cætera animantia caloris habent. Quare cùm neque planè concoquatur, neque ob capiam perfletur, ſed veluti commerceat, mali eſt odoris.

31. Cur ſinapi cæteraque id genus acria, cuti impoſita ulcerant: deglutita verò alvum jam non ulcerant? Quia prius demutantur ea, & concoquuntur, quàm agant. Præterea reſolvitur à (credo) nimia corporis humiditate. Item cùm ſupra cutem ponuntur temporis ad agendum plus habent, quoniam eo conſpiſſatior eſt, eſtque præterea imbecilla. At quo intimum eſt, & laxiores meatus habet, & validius eſt.

32. Cur qui dolent, quique gaudent ridentes lacrymant? Qui quidem dolent meatuum, qui ſunt in oculis, ſpiſſitudine, eorum exprimunt humiditatem: qui autem gaudent,

dent, raritate meatuum humidum effundunt. Quibuſdam verò in oculis, iis, qui anguſtiores meatus habent, in neutro lachryma exprimitur.

33. Cur hordeacea farina cùm ſit frigida, reſolvit pituitates? ſiquidem omne frigidum condenſat, ac reſolutionem impedit. Equidem puto non quia refrigeret, ideo reſolvere, ſed quia ejiciat: vim enim ejiciendi atque humores dividendi poſſidet. Suntque plurimæ ejuſmodi ſpecies ſibiipſis contraria agentes, non illæ quidem prima ratione, & ex ſeſe ipſis ac præcipuè, ſed ſecunda, & ex accidenti: ut apium, quod quidem eſt calidum, febrim diminuit. Non quia id quidem calidum eſt: ſimile enim ſimilia auget, ſed quia ex venis ejicit morbiferos humores, vimque habet provocandæ urinæ. Itemque iris, & hyſſopus, lateris morbo, quæ & pleuritis dicitur, conferunt: quamvis enim calida ſint, tamen in eos humores incidunt, qui pituitatem inter eam membranulam gignunt, quæ coſtæ ſubcinguntur. Et aqua calida circumfuſa rigorem ſolvit, qui tetanus dicitur, quique ex lentis frigidiſque humoribus generatur. Solvit autem non propriè, ſed ex accidenti, per medium aliquod, hoc eſt, per inſidentem caliditatem. Si igitur ſuâ ſponte nullius medii interventu agant, propriè dicitur primâque ratione agere: ſi medii agant interventu, non autem ſeipſis, ex accidenti tum agere, perque ſecundam rationem dicuntur.

34. Cur mingentibus accidit, ut & ſtatum edant? Quoniam cùm veſica urinæ plena eſt

turget, premitque & coarctat directum inteſtinum. Dum itaque exinanitur, incluſo inteſtinis ſpiritu exeundi occaſionem præbet. Quidam verò conſenſum quendam harum inter ſe particularum eſſe ad dejectionem arbitrantur.

35. Cur qui oſcitantem videant, & ipſi oſcitant? Quia natura animantium, maximeque ratione carentium ſimilitudinum quendam conſenſum, itemque affectuum habet: Atque ita fit, ut meiente aſello, cæteri idem meiant, cùm ſint urina repleti.

36. Cur lippus ſanum lippitudine afficit, ſanus verò lippum haud quaquam ſanitate, afficit? Quia oculi humecti ſunt & molles, atque affectibus expoſiti. Tum quia ſanitates ex habitudine modica, vitium ex immodica accidit: Quod igitur modicum eſt, facilius ab immodico mutatur ac vertitur, quàm contrà. Ergo & lippitudo, quæ immodica quædam habitudo eſt, facilè ſanitatem, utpote modicam demutat. Fit autem mutatio naturali corporum inter ſe conſenſu.

37 Cur numiſma & pomum in aqua, majora, quàm ſint, videri ſolent? Quia effuſa iis aqua, concolor fit, aſpectumque decipit, quaſi majora ſint. Tali enim ratione & Sol & Luna, & qua erraticæ ſtellæ dicuntur, cùm juxta ortus aut occaſus limitem ſpectantur, ampliori corpore videntur. Sua enim qualitate circumfuſum ſibi aerem afficiunt.

39: Cur ligno procul vapulante, ictum continuò videmus, ſonum ſerius exaudimus, quamvis uná cum ictu & ſonus fiat? Quoniam

am viſum ſubtiliorem auditu acutioremque habemus. Ictum igitur viſus, utpote acutior, anticipat. Auditus autem, ut qui craſſior eſt, ſonum tardius conſequitur. Hac ipſa ratione ſolvendum eſt, quod in nubium inter ſe conflictu brumæ tempore, ubi ictus oritur ejus quem tonitrum dicimus, ejusque ignitio, quam fulgetram vocamus, ut in iis, quæ pyrechola, hoc eſt ignivoma dicuntur, prius fulgetram cernimus, atque ita poſtmodum tonitrum exaudivimus: licet conflictu ipſo prior tonitrus, poſterior fulgetra, aut unà ſaltem ambo oriantur & hic igitur viſus, utpote ſubtilior, auditum prævertitur, atque ita fulgetram prius videmus. Tum & auditus tonitrum ſentit, ut qui craſſior, atque ad conſequendum tardior eſt.

40. Cur fit, ut cum nudâ facie reliquo amicto corpore ſimus, in maximo tamen frigore reliquum quidem corporis rigeamus faciem minimè? Conſuetudine: aſſuevit enim facies acre tolerando. Maximè verò nos conſuetudo adverſus omnes affectus communit.

41. Cur flavabilis, quæ per univerſum vitæ tempus ea tunicâ, quæ bilis veſica dicitur, continetur, cujusque corpus maximè affectibus expoſitum eſt minimè ipſam corrodit: at ſi vel exiguum temporis intendem, cujus eſt corpus ad patiendum minimè aptum, ingruerit, ſtatim eum exeſum reddit? Quoniam ita eſt à natura inſtitutum, ut eo tantum in corpore inhabitet, ideoque minimè ipſum lædit. Magnum enim remedium contra dolorem

naturæ nomen eſt, milleque alia poſſim tibi exempla afferre. Decem in matrice menſes infans permanet, nullum ponderis ſenſum prægnanti præbens. Spiritus autem levis in eum incidens, dolorem continuo acutum citat, qui & tenſionem & intolerabile efficit pondus. Aſpera arteria unius eſt ſpiritus receptaculam, in eam ſi mica aut portiuncula deerret, ſuffocationem, aut vehementem efficit tuſſim. Id niſi natura ipſa præfiniiſſet, haudquaquam fieri vel ad minimum poſſet.

42. Cur nonnulli cùm balneum ſitientes intrant, absque ſiti exeunt nònnullis vero contra accidit? Sicciores quidem balneo uveſcunt, ſtatimque cedant: ſitis enim à ſiccitate provenit, præſertim ſi non penitus à ſiccitate reſolvantur. Aut qui uvidiores ſunt, minimeque ſitibundi, ſi diutius immorentur ſub calido præſertim aere, atque intra aridam contignationem, reſoluta per ſudores humiditate, ſitibundi efficiuntur.

43. Cur radicula comeſa, alii fœtidum eructant, alii minimè? Quorum quidem alvus ac ſtomachus ſupervacaneis maliſque humoribui, iiſque ad pituitatem vergentibus minimè exuberat, eorum purus eſt ructus: at quibus exuberat, fœtidus. Radicula enim calida eſt, humorumque craſſitudinem incidit atq; attenuat. Ex humoribus autem ſpiritus excitat, eoſque per ructum effutit. Sic & cœnum quieſcens, nihil olet: motum verò & conturbatum, gravem halitum efflat. Qui verò radiculam ipſam gravis naturæ, ac fœditate qualitatis eſſe

autu-

autumant, quoniam ea, cùm extra corpus ſit, ditiuſque ſervetur, graviter oleat, proculdubio falluntur: ſic omnes enim, qui ea veſcerentur, gravem ructum edere oportet.

44. Cur in maximis rigoribus digiti, ac ſumma corporis nigreſcunt & decidunt? Quoniam externum frigus abigit, atque retrudit inſitum calorem ſub intimum corpus: atque ita ſumma corporis liveſcunt quidem primo, tunc nigreſcunt, & quodammodo cadaverantur, Decidunt autem, quoniam natura reliquo intenta corpori agglutinat ſibi, quod ſanum ineſt: quod verò jam perit, demittit à ſeſe, atque extrudit. Summa autem præcipuè afficiuntur, quod neque admodum carnoſa, & minus calida ſunt. Nam & ſtirpium eæ præcipuè foliorum defluvium bruma patiuntur, quę minus calidæ naturæ ſunt, atque obid imbecilliores atque rariores. Qui verò dicunt ſtatim à principio inſitum calorem, à frigore quaſi ab adverſario fugientem, in intimum corpus pervadere, tum ſeſe colligentem & quaſi inſtaurantem, ceu reſumptis viribus in eas rurſus particulas, magna repente copia, auxilio accurrere: atque ita, vel quia repentè, vel quia maxima caloris vi eodem remigrarit, ſumma corporis exuere, quia in his reſidens magis congregetur, ii procul dubio falſum autumant.

45. Cur qui ſumma corporis rigentia igni admovent, ut calefaciant, vehementer dolent? Repentinę videlicet qualitatis mutatione. Plurimum enim frigus in plurimum calorem demutant. Quicquid enim immodicè repenteque

que fit malà nempe habitudine, id naturæ cruciatum affert. Quicquid autem bonà habitudine & modo, & ſecundum naturam repentè immutatur, id naturam magnopere delectat: conſiſtit autem in habitudinis modo humanum corpus, multoque magis, quàm cæterorum animantium.

46. Cur qui piper aut magnum panem comederunt, ſingultiunt? Eſt verò proportio & cum iis, quæ extrinſecus aut ingravant aut dolorem incutiunt. Piper enim flavaque bilis proportionem cum ſpinis habent: pituita autem, & panis cum graviſſimo lapide. Qui alvum minimè excrementoſam, ſenſibilem, calidamque ſunt nacti, ii ocyſſimè piperis acrimonia mordicantur, ſtomachum excitant ad id, quod dolent, excernendum, ac perſequendum: atque ita quem ſingultum dicimus, effutiunt: qui verò frigidiorem nacti ſunt ſtomachum, majoremque in eo pituitatis vim habent, minusque ſentiunt, ii tardius ſingultiunt. Idemque iis accidit, qui magnum repentè panem devorarint: panis enim copiâ ac magnitudine degravatur. Neque enim ſuas partes ceſſare natura patitur, ubi quicquem adſit, quod ſe lædat. Piper igitur qualitate acri id efficit, ſecundum proportionem pungentis intrinſecus bilis. Panis autem quantitate ponderis, velut & pituitæ copia, intrinſecus degravans, ſingultum efficit.

47. Cur qui in unguibus affectus exiſtunt, vehementer cruciant? Quoniam nervi, qui per digitos tenduntur, peculiaribus excremen-

mentis ungues gignunt: quemadmodum & dentes in gingivis fiunt. Cum itaque ſenſibilis nervorem virtus in extrema progreditur, inque eis collecta, veluti in convallem profluens aqua congreatur atque copioſior exiſtit, procul dubio quo magis affectum ſentit, magis etiam cruciatur.

48. Cur devorato repentê magno pane, retentio ſpiritus ſingultum reſolvit? Quoniam ſtomachum premens, atque in anguſtum adurgens id agit, ut qui in eo cibus conſtipatus ſit, exprimatur inventrem, atque ita exoneratus ſingultum ſiſtat.

49. Cur devorato pane ſingultientes, ubi quid triſte audiunt, non ſingultiunt. Quoniam in id animum intendunt, quod triſtitiam afferat: quo efficitur, ut movendo pectori minus ſit intenta. Rurſum igitur cùm non erumpat ſpiritus, verùm copioſior cogatur, ſingultum ſiſtit, ut & ante didicimus.

50. Cur imagines propè quidem planos colores: procul autem ſtantibus partibus concavos, partim devexos oſtendunt? Quoniam videndi vis in longo intervallo extenditur, atque reſolvitur: quo ſit ut intima calorum exactè planeque non cernat: ſed condidos quidem calores devexos, nigros autem concavos videat Candidum enim ſeſe ſplendido admovet, extrinſecus ſplendeſcit: nigrum verò utpote tenebroſum, intrinſecus. Artium verò aliæ materiam transformant ut cùm ſtatuarius æneum æquum, aut bovem aut aliud ejusmodi animal fundens, aut cudens hominem fingit,

git, aut aliquid quippiam, mutata ſcilicet de ſpecie in ſpeciem materia ęris. Alię additione agunt; ut ceræ aut luti fictor. Aliæ demptione: ut qui ſculpendo animal fabricantur. Aliæ coagmentatione, & inſectione, & glutinatione, ut in domo, ut navigio ædificando in tela, in fabrili opere. Aliæ habitudines alteratione fiunt, & per profundum quodammodo: quemadmodum natura è ſemine animantia procreat. Aliæ habitudines ſimul alteratione & adjectione corporis, quemadmodum natura particulas enutriendo auget. Aliæ verò mixtione colorum & corporum addictione, ut pictura.

51. Cur ſi frigida aqua nervis inimica calida amica non eſt, imò verò & ipſa inimica? Si enim tale quippiam noxium, contrarium porrò utile eſt. Contraria enim in id ipſum eodem modo agere nequeunt. Primâ igitur ratione, ac per ſe calidum, quod eſt calidum, infeſtum nervis ſimpliciter non eſt, ſed qua calidum & humidum eſt. Qui autem nervos habent læſos, eorum nervi, quia plurimum ſenſus habent, multæ intentionis, multæque aſtrictionis indigent, ſunt enim ſuapte natura ſicci. Humiditas autem, utpote contraria emollit, remittitque ipſos, ac putrefacit. Calidum verò ipſum ſuapte natura minimè noxium eſſe patet. Calidi enim olei utilis hauſtus, quia aſtructionis quoque vim continent.

52. Cur ſi poma nocent, quoniam frigida ſint atque humida, aqua tamen, quæ ejuſdem habitudinis, minimè nocet? Quia ſubtilior

eſt

eſt aqua pomis, citiuſque excernitur: quo fit ut non adeò lædat imò verò corporis particulas modicè intendit.

53. Cur quæ difficilem habent concoctionem, craſſoque ſunt humore, multò facilius concoquuntur ut bubulæ carnes, quàm quæ & faciliori ſunt coctione, & minus craſſo humore, ut ſaxatiles piſces? Quidam id conſuetudini tribuunt nonnulli habitum quendam naturalem atque arcanum, neque explicabilem in cauſa eſſe putant. Quidam verò immodica aliis caliditate, quæ concoctibiliora ſint, quàm par eſt, utpote mutabiliora, ſumma incendii vi concremari dicunt, atque corrumpi: quæ autem concoctioni minimè idonea ſint, utpotè difficilia mutata, cùm non admodum mutentur, concoqui tantum. Sic enim & paleę, ut quę ſuſcipiendis affectibus aptiores ſunt, plurimo igni in cinerem abeunt. At quernis lignis non item accidit, ut quæ rite comburantur.

54. Cur dolentium ſuperficies palleſcit? Quia natura (ut diximus) ad intimum unà cum ſanguine penetrat. Sanguis autem is eſt, qui ipſam calefacere ſuperficiem ac rarefacere ſit ſolitus.

55. Cur in Ægipto, quæ eſt calidiſſima regio, frigidum vinum gignitur? Eadem ratione. Rurſus enim ad vitium radices defugit frigus, eaſque frigefacit. Sunt enim vires multò quàm cæteræ ſtirpes ſuſcipiendis affectibus aptiores.

56. Cur calida aqua puteo indita frigidiſſimam

ſimam reddit aquam? Quoniam quod in puteo frigus eſt, calidæ repugnat. Cumque eam frigoris abundantia ſuperet, calorem ipſum omni copia proſequitur. Atque ita multa cum frigiditate per calefaciendum aquam influit, eamque hoc pacto admodum refrigerat.

57. Cur ubi exiguum animal in oculos involat, ſtatim alio clauſo oculo extruditur?

Quia videndi ſpiritus jam per occluſum oculum exire non poteſt, ut jam diximus, ſed collectus in ſeſe, magnaque in apertum oculum copia contendens implet ipſum, ut tumefacit, & quaſi extrinſecus promit, atque ita pellitur extruditurque infectum.

58. Cur colaphis icti ignem cernunt? Quia videndi ſpiritus ictu attenuatus magnoperè igneſcit, atque in aëra egreſſus talis cernitur, qualis jam evaſit. Idem evenit, cùm duos ſimul lapides, aut cùm ferrum ferro atteras. Interceptus enim aër magnoperè attenuatur, atque ignis fit. Idem quoque in nubibus accidit.

59. Cur non omnium attritu lapidum ignis excutitur? Quia pleriq; cedentes nimium ſunt, nimiumque leves, & quaſi mentibus pungoſis. Neque enim pariter percuſſus aer attenuatur: quippe qui neque vehementer ob levitatem percutitur, & fugit receditque intra meatus. Non ergo pariter totus percutitur, atque igneſcit. Idem & lignorum evenit attritu. At verò à Sole atque aqua ignis creatur,

quo-

quoniam infracti ad vitrum Solis radii, velut etiam in ſpeculis evenit, magis igneſcunt, rurſumque ad ſupera reflectuntur.

60. Cur prurientes fervida gaudent, Quoniam pituita, cujus craſſitudine ac frigiditate pruritus oritur, cutis ſenſum obtundit.

61. Cur iidem balneis gaudent? Quia calor pituitam fundit, eamque ungues reſolvunt.

62. Cur magis humeri pruriunt? Quoniam anticis partibus frigidiores ſunt, ideoque plus habent pituitæ. Quo fit, ut ſenes qui frigidiores ſunt, pruritu magis afficiantur.

63. Cur facilior ſcalarum deſcenſus, quàm aſcenſus eſt? Quoniam in deſcenſu corporis pondus deorſum verſus ſuâpte vi fertur, & quodammodo deſcendentem adjuvat. In aſſenſu verò laborat vis, corporis pondus ſurſum verſus attollens. Sic enim & lapis facilius deorſum, quam ſurſum fertur. Quod enim grave eſt, deorſum fertur.

64. Cur infantes ut primùm eduntur flent? Quia ſenſus eorum atque natura veluti peregrinatur. Nam è calido mollique ipſius matricis corpore in aerem frigidum exeunt. Fortaſsè tamen à lumine exterrentur non (ut quidam ajunt) quod anima cœleſtium regionum extortis terrenum corpus inhabitet, atque ideo flere infantes cogantur.

65. Cur apes, & formicæ, & muſcæ, omniaque inſecta oleo pereunt? Quia reſpiracula anguſta habent, Oleum verò, utpote lentum,

co-

eorum reſpiracula obſtruit:atque ob id pereunt. Idem & ſerpentibus, & iis contingit, quæ mali odoris ſunt.

66. Cur flantes calida refrigeramus, frigida calefacimus? Quoniam reſpiratio calida fit, exiens autem ſpiritus eorum qualitatem reſolvit. Calida verò refrigeramus, quod eorum calidum qualitatem movemus ac reſolvimus.

67. Cur quæ carnes noctu ſub plenilunio fuerint, putreſcunt? Quoniam tunc aër calidus ab eo atque humidus ſit, quæ habitudo ad putrefaciendum maximè facit. Unde efficitur, ut ſi modicus ſit calor atque humor, concoctio fiat: ſi immodicus, extinctio: ſi calor prævaluerit, exuſtio. *L*una quoque quatuor nacta habitus videtur. Media enim humida & calida quodammodo eſt. *P*lena calida quodammodo & ſicca. Quo tempore deſinit, ſicca & frigida. Cum luminis omninò eſt expers, frigida eſt & ſicca. Eſt enim & Solis expers radiorum, qui tunc calidi ſunt.

68. Cur dolore affecti pallent? Quia rurſum natura ejus, quod ſeſe angit reminiſcens, paulatim ad intima defugit unà cum ſanguine eo, qui cum depingat, minus tamen in iis quàm in metuentibus, evenit.

69. Cur gaudentes rubent? Quia natura ſponte ſuâ delectanti ſeſe occurrit, qui extrinſecus fit, ut nos amico liberiſque ſolemus. Eam verò & ſanguinis aſſectatur vis, qui (ut ſuprà diximus) cutem ſuo colore roſeam reddit. Pallor autem à contrario accidit.

70. Cur

70. Cur in ſapore nocturno, cùm ſubitò oculos aperimus, lucem videmus? Quia videndi ſpiritus collectus inter dormiendum atque ad auctus, repentinus, plurimuſque per tenebras erumpit, cumque ipſe ſit lucidus, inſtar luminis cernit.

71. Cur verentes oculos dejiciunt? Quia animi ſpeculum ſunt oculi. Nam & animi affectus per oculos cernimus, ut dolorem, iram, pudorem: quoniam verò non ſuſtinet animus contra id, quod ſit honore dignum, intueri conſcientia quadam, ideo aliquamdiu oculorum muſculos demitti cogit, idque velut ſeſe operiens efficit.

72. Cur auris omne humidum tolerat, excepta aqua? Quoniam cùm frigida ſit, ad audiendi nervum continuò fertur. Frigidum verò omne nervis infenſum. Rurſum: Cur antequam vehemens excitetur ventus, quędam veluti ſtellæ excurrentes eum præmonſtrant, aut quaſi fulgetræ maximeque per ſudum? Nimirum quia cœperat quidem prius moveri: nobis autem, qui & craſſa & duri ſenſus corpora nacti ſumus, nondum manifeſtus apparet. Supernum igitur aera, utpote magis tenuem, magiſque æthereum perflans in ignem convertit, atque ita ejus partes ſcintillantes videmus: vehementior autem deinceps virtus craſſiorem hunc aera, qui fit circa terram, movet, atque ita ſentitur.

73. Cur ventus qui anguſta loca inflat, vehementior eſt, quàm qui laxa? Quia colligens ſeſe in unum locum, intenditur in ſeipſo; fitque

que major, increſcitque, & vehementior evadit. In locis autem latioribus explicatur, atque diſpergitur, ſitque languidior imbecilliorque. Hoc idem in calore accidit, in qualitatibus, & in aquis.

74. Cur aliqui longinqua, quamlibet magna minimè videntes, propinqua tamen quamlibet minutiſſima cernunt, quos & myopas, hoc eſt luſcinos vocant, quia conniventes videant? Equidem arbitror videndi ſpiritum tenuem eſſe ac purum: qui cùm procul abeat, reſolvatur, neque objecta attingere poſſit. Vix autem propinqua cernit, propter tenuitatem ac puritatem. Sunt & qui minutiſſima procul cernunt, ut ſenes quidam. Hi igitur contra, quia videndi ſpiritum craſſum, eundemque multum nacti ſunt, neceſſe habent, ut is perlongus culam quodammodo viam moveatur, eoque pacto attenuetur, atque adviſibilia ſuſcipienda idoneus fiat. Sic ergo duo inter ſe oppoſita ſolvuntur.

75. Cur præter omnia animantia ſoli canes poſt coitum vinciuntur? Quia anguſtos habet meatus collum matricis, collum autem in re venerea inflatur, neque ſtatim exitum, quia ſemen glutinoſum eſt, utraque enim aliis nimia ſiccitate accidunt. Siccum enim cogit, coarctatque particulas, atque humida condenſat.

76, Cur ſoli canes per æſtatem rabie laborant? Propter ſiccæ habitudinis perceptionem, naturâ enim ſicci ſunt magisque in æſtibus. Excalefactæ igitur eorum humiditates, atque ex-

exſiccatæ inflammatur tum univerſa eorum habitudo: eoque pacto inſaniunt velut phrenetici : unde & eorum ſaliva veneni eſt inſtar, atque ſicciſſima. Inflammari autem conſtat, vel frequenti anhelitu, vel igneis oculis, vel oris hiatu, quem ad protrahendum aera apertum ſemper habent : vel quod eorum cauda ob ſiccitatem incurvatur, atque macreſcit. Rabidi verò fiunt præcipuè, qui ſicciſſimi ſunt, & qui Caniculæ ſidus influxu quodam ſuo rabiem iis afferre dicant.

77. Cur qui repentè, atque inviti excæcantur, minus cruciatur, quàm qui per electionem excæcantur? Quoniam qui de improviſo, ii alio converſum habent animum ſenſuſque omnes inæqualiter ſuſcipientem. At qui per electionem, ii cùm ſciant quid paſſuri ſint, animum ſemper in ipſum, quod inciditur corpus intentum habent: quare cùm ſenſum ęqualiter ſuſcipant, magis in ipſa ſectione cruciantur. Solutio quæſtionis à conſenſu quo magis.

78. Cur qui onera bajulant, cantantes ambulant, eodemque modo qui trahunt? Quia modulatione rationalis anima oblectatur, quo fit ut in eam converſa, minus ipſum ſenſum ſuſcipiat: unde efficitur, ut non tantopere onus ipſum ſentiat. Hac ratione ſolve, cur in funeribus tibię ac tympana adhibentur, cur ad dolentes aut lugentes, aut ęgrotantes mos obtinuit, ut hominum conveniat multitudo, diverſoſque interrant ſermones : vergens enim ad verba animus calamitates minus ſentit. Quapro-

propter & ſcenica oblectamenta, variaque ejus genera ab antiquis excogitata ſunt, ut animi diſtraherentur.

79. Cur Æthiopes febricitantes & plurimum extinguuntur, & lippientes ulcerantur? Calidiſſimi ſunt atque ſicciſſimi, & quaſi elementorum quædam iis reſolutio accidit & quòd humidi exiguum iis ineſt, conſumptum atque corruptum efficit, ut & cætera elementa reſolvantur. Fugit enim calor ſibi penuria. Exurgit frigus caloris abſentia. Regnat & ſiccitas humiditatis interitu. Atque ob idipſum cadavera frigida ſiccaque ſunt. Unde & divinus Homerus haud ignarus duo quidem elementa effugere, utpote tenuia, & leviſſima duo verò in extinctis corporibus permanere, ait. Sed vos ô cuncti, tellus fiatis & unda ſiccitatem ille nimirum, ac frigiditatem intelligit. Ulcerantur autem lippitudinibus eorum oculi, quoniam ſanguis ex inflammatione fit biloſus, multaque acredine oculos per fluxum corrodit.

80. Cur in conviviis contra rationem poculis utantur? Incipientes enim exiguis, expleri magnis poculis bibunt. Videtur id procul dubio rediculum, ſed neque præter rationem tamen fit? Ut enim frequentius ad menſam poſſint perpetuoque bibere, incipiunt quidem à parvis poculis, deſinunt autem majoribus. Parva enim pocula non tam queunt exatiare, quàm abundantior potus. Si igitur à majoribus incipiant, frequenter id facere, ut in iis delitiis aſſolet, non poſſunt. Natura præterea

reâ immenſis illis, capaciſſimisque poculis, veluti re quapiam peregrina turbatur ſeque ab his avertit. Parvis autem paulatim aſſueſces, copiam quoque ipſam poſtmodum feret.

81. Cur qui aqua intercute laborant, cum pleni aquæ ſint, ſitiunt ſemper? Quoniam & ipſum humidũ ſalſum ſit: quippe quòd minimè permeat, ſed putrescat, atque os alvi exſiccet. Quin & febriculas tenues habent. *Prȩter* hæc autem quanto venter tumidior fit, tanto reliquum corpus, quum minimè ſua ratione nutriatur, ſiccius evadit, unde etiam mascescit, plurimum enim nutrimentum in aquam abit, ipſumque adauget morbum.

82. Cur in conviviis priusquam cibum capiamus, aut repleamur, anguſtè accumbimus: poſt repletionem verò, atque ante convivii finem laxamur, atque jam urgemur? Quoniam cum à principio vehementem ciborum appetitum accúmbentes habeant in ea, quæ intus, hoc eſt, quæ in menſa ſunt concurrunt ſimul univerſi atque repentè. Poſt cibi verò ſatietatem alius deorſum vergit, alius in obliquum, alius item modo quovis alio ſedet, neque ſupra modum in ea, quæ intus ſunt, vergunt. Atque hoc pacto, ubi expleti cibo ſumus, relaxamur. Præter hoc autem & quia omnes à principio, cùm comedunt, in pectus, atque in latitudinem corporis cubant, evenit ut anguſtè accumbamus.

83. Cur quocunque loco pilos habemus cani gignuntur; præterquam in axillis? Quia

is locus calidus eſt, arteriis enim ſcatet & venis, tum rarus, atque ob id pituitatis excrementa perpetuò excernens: hinc fit, ut perpetuò ſudet.

84. Cur ſi pituita frigida eſt, & craſſa, & lenta, ſimiliterque nigra bilis frigida & craſſa, ſed multo, quàm pituita minor, quartana tamen diuturnior eſt, quàm quotidiana? Quia pituita, tamen ſi frigida copioſior eſt, humida tamen eſt, humidum verò facillimè alteratur atque immutatur. Nigra verò bilis, frigida & ſicca: quo efficitur, ut difficillimè alteretur aut immutetur. Decipiunt itaque ipſa ſimilitudine frigiditatis, & bilis redundantia: aliquam verò contrariam qualitatem occultant. Prætereà pituita magis naturæ conſentanea eſt, quàm nigra. Unde & cùm quis ſanus fame extinguitur, natura pituitam ipſam in nutrimentum vertit. In febri igitur quotidiana, quicquid utilis pituitæ offendit, id omne in nutrimentum conſumit. Quod autem inutile eſt, putreſcens febrim accendit.

85. Quare cùm quatuor ſint humores, qui interdum putreſcunt, tres tantùm febres, non autem quatuor exiſtunt? Quia ſanguis ſecundum naturam eſt nutrimentum corporis: is exuberans repletionem tantùm facit: corruptus autem non jam ſanguis remanet: mutatur enim excalefactus in flavam bilem. Reliqui igitur humores exundantes quidem morbos pariunt, maximeque circa cutem, ut ſerpentia ulcera, & cancros, duplexque genus vitilliginis, alphos videlicet, & leucas, putrefactæ autem febres. 86.

86. Cur ſi in duobus adverſis parietibus geminæ ſint è regione feneſtræ, quas vehementior peſlet ventus, altera tantùm clauſa jam par alteram non intrat vehemens ille & plurimus ventus, qui ſpiret, velut utraque aperta accidebat? Quia aer, qui movetur, hoc eſt ventus, corpus eſt: altera igitur clauſa, qui per alteram intrarat aer, locum domus replet. Cumque corpus ſit non jam reliquum aere, qui corpus quoque ſit ingredi ſinit. At ſi feneſtra refeٰretur, qui locum occuparat, exitum nactus, locum ingrediendi & alteri dat, idemque curſu per objectam feneſtram erumpens alium aera ingredi ſinit: idque continenter fit, clauſa verò adverſa feneſtra, non jam amplius accidit.

87. Cur amantium extremę partes modò frigidæ ſunt, modò calidæ? Quoniam ubi dolore affecti ſunt erga amicam, eâque ſe deſperant potituros, inſitus calor unà cum natura in intima penetrat, quo fit, ut extremæ partes frigeſcant, obque id ipſum & pallent & triſtes evadunt. Contrà verò cùm aut bona ſpe ab amico ſunt affecti: aut cùm vehementer iraſcuntur, tum innatus calor ad cutem vergit unà cum natura, fiuntq; calidiores & rubicundiores. Obque hanc ipſam cauſam pictores, Amorem nunc triſtem pingunt & quieſcentem: nunc volantem, & ridentem: puerum verò notabilem, quia cupido vehemens quidem eſt, non tamen diuturna & perpetua eſt, ut in legitimis amicis, aut in patre erga filium, aut in uxore erga virum. Amor autem non

perpetuus eſt. Ut plurimum enim circa ignotos accidit. Diſpoſitio quoque modica ſtabiliſque eſt. Amor autem vehemens, & inſanienti ſimilis. Facem verò habere fingunt atque eſſe pennatum: quia animantium animi ſuspenſi tolluntur, ſuntque mutabiles ceu volucres. Tũ cordi inſitus calor ſemper iis exardescit inceſſabili videlicet vehementique curâ erga id, quod cupiunt. Tenet autem dextra gladium, ſiniſtra autem pharetram, & quàm plurimas ſagittas quoniam à principio quidem ex uno oculorum radio amor oritur, unà enim & videt, & cupit: ut verò primum cupit, perpetuos emittit amans radios in id, quod à ſe cupitur. Is autem radius ſagittæ ſimilitudinem habet, quod eum amans in corpus jacuntur. Sunt verò intra pharetram ſagittæ, quoniam occultos emittant radios, qui amant. Ut autem eventus ignem, ſic conſuetudo amorem accendit: non enim propriè ex ipſa amor oritur. Si enim hoc eſſet, procul dubio oporteret ex conſuetudine ſemper amorem gigni. Amoris autem ortus repentinus eſt. Eſt verò nudus, quia absque medio deſiderium id manifeſteque evenit. Neq; enim per alterum quippiam amat quisquam, ſed neque clam, neque palam ignorat. Quapropter & ſtatuarii honoris gratia nudos interdum deos regesque effingunt, ut qui indicare velint, ad apertum illud virtutis eorum ac mentis extra omne clancularium vitium exiſtere. Non eſt unus amor, ſed plures: ſeu quia diverſi rerum ſunt amatores: aliter enim atque aliter amant, quemadmodum

dum & divinus Plato ait, Amorem multorum capitum beluam eſſe, ſeu quia ſub multos, ut idem ait, amores idem cadit: Matrem verò habet Venerem, hoc eſt, cupiditatem. Veneris enim ſimulachro cupiditatem effingunt. Fertur autem amor Erinnyn furiam amaſſe, videlicet, quia multi iniquè amarunt, impiiſque ſunt cupiditatibus affecti, quemadmodum & à me ipſo in ſecundo Allegoriarum libro oſtenſum eſt, quem in confictas de iis hiſtorias compoſui.

88. Cur in peſtilentia alii pereunt, alii minime? Hoc nimirum ex habitudinis convenientia accidit. Nam ſi quis malis humoribus plenum corpus ſit nactus, ei profectò inſpirans is aer, qui ſit putredinis effector, & quod exiguum utilis humoris inſit, facilè corrumpit. Quo ſit ut corrupto iis humore univerſo, & inſanabilis effectus, & quàm plurimi exoriantur, eoque pacto occidant. Quod ſi neque multa quis habeat excrementa, & bonis abundet humoribus, is aut nihil, aut parum omninò à peſtilenti aere offenditur. Attrahi vero ab ea quam diximus, convenientia, id quod agendi ſit cauſa, vel externæ materies oſtendunt. Quercus enim haudquaquam affectibus idoneæ neque ejusmodi ſunt, quæ facilè ignem comprehendunt. Multò autem magis idoneæ arundines ſunt, magisque igni excipiendo expoſitæ: ſed & ſtuppa multò magis, At ſi quis madidam capiat ſtuppam, virideſque arundines, quercùm aridiſſimam eligat, vel eam ſulphure ſpargat, quod minimè ido-

neum erat comprehendendis ignibus, id maximè idoneum reddiderit, ſi igni admoveat. Hoc item exemplo & quæſtionem aliam ſolvere potes, quà ratione eveniat, ut laſſitudo diurnam potius febrim gignat, quam aut eam, quæ ex putredine ſit, aut eam, quæ habitualis dicitur. Dicimus enim evenire id ex diſpoſitionis præceptione. Habebat enim naturales ſpiritus, humoresque minimè ſupervacuos. Solida verò omnia ſicciſſima ſunt, & cauſa in ea incurrit. Et cur ſolis ardor aliis ſomnum excitat, aliis non item? Quoniam cui multa in capite pituita inerat, ea effuſa caput humescit, atque inde ſopitur. Quia autem ſicco ſunt capite, cùm magis id magisque exſiccetur, pervigilio afficitur.

89. Cur ſol nigrum quidem hominem, linum verò candidum reddit, ceramq; emollit, lutum durat? Propter diſpoſitionem rurſum patientis materiæ. Humores enim omnes excepta pituita, cùm ſunt præter modum excalefacti, circa cutem nigri apparent. Linum verò aut nitro, aut ſalſugine infectum, cùm Sol ejus ſordes abſumat, albescit. Rurſum verò cùm ex eadem cera humiditatem eliciat, quæ in ejus intimo ſit, evenit, ut emolliat. At verò in luto omnem Sol humiditatem, quæ & plurima ſit, & in ipſa ſuperficie redundet, depaſcitur, atque ita eum deſiccat, durumque efficit. Sic ergo circa id, quod patitur, & agens vertitur, magno nobis uſui eſſe poteſt. Si enim pietate animum armemus, corpus ciborum modeſtia exornemus, vitâ autem

non

non poſſidente, ſed iis contenta, quæ ſunt victu oportunæ, nosmetipſos ſtabiliamus: tunc omnes vitæ moleſtias, quod fieri poſſit, evitabimus, neque nos argenti malo idoneos præbebimus, ut id, quod patitur, agat quicquam, ſi quis videlicet eſt aut dæmon, aut ſtella, aut alia quæpiam extrinſecus cauſa.

90. Cur icterici difficilè dejiciunt, & dejectio alba eſt? Quia flava bilis toto eorum corpore diffuſa eſt, quod & oculi indicant, & cutis color: neque ad inteſtina jam confluit, ut prima naturæ lex exigit, atque ita ſtercus non colorat, neque ſuâ acredine dejectivam inteſtinorum virtutem irritat ad evacuandum ſtercus: propterque idipſum medicina, quæ ut artes cœteræ, naturam imitatur, ubi in ægritudinis periculo corpus verſatur, ægrotanti virtuti auxiliatrix adeſt. Nam quia ſtercus dejicitur, bile irritante, adque ejus expulſionem inteſtina provocante,& muſculos: ipſum vero ſtercus molle lubricumque eſt ob lentos illos humores, qui in inteſtinis ſunt,eique adjacent, merito etiam clyſter pro bile & mel habet, quod ejiciendi vim habet: item nitrum, quod & vim habet ejiciendi, & inteſtina ac muſculos ad expulſionem citat: *Hy*drelæum verò; hoc eſt oleum aquâ dilutum, ad humectandum emolliendumque ſtercus, quod ſit à febri deſiccatum. Scire autem oportet nunc ſuâ ſponte naturam ac ſine medici ope agere, ut in ægritudinem judicis, & in concoctionibus. Eſt enim tunc medicus velut ſpectator quidam &

arbiter,& judex duorum adverſariorum morbi & naturæ. Nunc verò per ſolum agit medicum,ut in articulorum injectione. Nunc verò per medicum ſimul agitur, & naturam, ut in ſordidis concaviſque ulceribus. Medicus enim ſordibus ulcus perpurgat, iis, quæ ad ejuſcemodi purgationem pertinent: tum cęcis illis meatibus relaxationem præbet: reſecat enim quicquid iis eſt pro operculo, ut ſic dixerim, eoſque obſtruit, ut purum ſanguinem acquirant. Natura verò per ulceris meatus purum ſanguinem ſuggerit, quia nutrimentis ſit creatus,eumque ad carnis generationem transfert. Is rurſum a deſiccantibus venis condenſatus idonea caro fit.

91. Cur ii, qui febri continua laborarunt, poſt judicii tempus, quam criſim vocant, pigerrimam aliquamdiu cutem habuerunt? Quoniam ex flava bili continuò accidit, quæ in ipſo ægritudinis rigore peruſta in nigram demutata eſt. Atque ita in ea, quam diximus criſi, à natura ipſa ad cutem repulſa tinxit ipſam: quemadmodum etiam inhitiligibus alba quoque eſt cutis. Ejus autem vumoris craſſitudine difficilè ejuſmodi color reſolvitur.

92. Cur nigra bilis ad mammam aut ad crus accedens corroſionem operatur: in his verò, qui melancholici vocantur,cùm in ipſum confluat cerebrum, id tamen non agit? Quia in mamma quidem multæ magnæque inſunt venœ propter lactis generationem, atque ob id bilis copia eò confluit. Similiter & in crus

multa

multa bilis deducitur: quippe qui ad inferna feratur. At verò in cerebrum, tum quia supernè eſt, tum quia minutas habet venulas, exigua quædam bilis aſcendit, quæque pungendi tantùm, non autem corrodendi vim habeat. Frigidum præterea atque humidum eſt: quo efficitur, ut aliquo modo nigræ bilis habitudini adverſetur, ipſamque emolliat. Quæ igitur propriè nigra bilis eſt, ea corrodentem in mamma cancrum gignit: in crure verò chironium ulcus, & quod nomades a depaſcendo vocant: in cerebro autem ferinam melancholiam. Quę verò non propriè nigra bilis ſit, ſed melancholicus humor, & feculentus, fluxionem tantùm, & tumorem, qui cancrum imitetur, ſed minimè corrodat, placidamque melancholiam gignit.

93. Cur in iis, qui inteſtinorum difficultatibus laborant, papyrum conglobant, eaque in anum injecta pro ſunt? Quia concurrentibus muſculis ſedis humectatæ papyrus muſculos ſuâ relaxatione excitat. Idemque in hypophoris agit, quæ in pluribus concurrunt. Relaxatis igitur muſculis, ſtercus velut deſtitutum dejicitur.

94. Cur quæ vaſa Græcis baucalia dicuntur, cùm aqua replentur, ſonum quendam ſibi proprium edunt, à quo & nomen vaſis eſt factum, velut alia ſunt apud Græcos nomina ſonorum fictitia, ut in aqua phloesbos, & in alvo borborigmos & cætera? Quia cùm vas ejuſmodi inane eſt aquâ, aere impletur, torpore videlicet tenuiſſimo. Cùm ergo inditur

repente in ipſum aqua, ſuâ gravitate aerem per ſequitur, utpote tenuem, atque excludit. Simul enim manere in baucalio, quoad uſque repleatur, nequeunt. Eſt enim a Philoſophis demonſtratum, non poſſe duo corpora eundem locum tenere eodem tempore: Cùm ergo aer repentè ſurſum per anguſtias extruditur, ſonus neceſſario exoritur: neque is unus, ſed plures: quædam enim velut pugna inter ambos incidit. Aqua enim deorſum aerem premit, aer verò ſurſum aquam: hoc cùm ſucceſſione fiat, accidit, ut frequenter ſonus fiat.

95. Cur in vaſis, quæ à Græcis harpagia quaſi raptoria dicuntur, digitus eorum ori injectus non ſinit aquam fundo effluere, elevatus autem ſinit? Quia cùm ex ore digitus elevatur, aer ingrediens trudit aquom deorſum, quo ſuâpte naturâ fertur, atque ita per foramina fundi exit. Propter hoc ipſum omnia mechanica inſtrumenta per aerem & aquam conficiuntur, ut horologia, clepſydræ, vocumque imagines, quæ ſtatim reſultant, atque alia iis ſimilia.

96. Cur & vinum & aqua alieno tempore febricitantibus data phrenitem efficiunt, hoc eſt, duo inter ſe contraria: frigida enim eſt aqua, calidum vero vinum. Dico igitur vinum ipſum cùm ſuapte natura ſurſum feratur, exurere cerebrum unà cum febri perturbatum. Itaque vehemẽter à principio animæ inſtrumentum, æthereus quodammodo ſpiritus eſt, vimque ipſam prudentiæ idem agere compellit.

lit. Inde verò hoc patet, multi quippe etiam ſani plurimo perpetuoque meri potu utentes, mentis impotes fiunt. Aqua verò ipſa, velut obſtruens corporis meatus, per quos videlicet reſolvuntur ii ſpiritus, qui à putrefactis humoribus oritur, eoſque craſſiores reddens, id agit, ut plus ob id ipſum putredinis febrisque reſultet. Sæpè verò & aqua ab immodica febri devicta, ejus pabulum fit. Quemadmodum in furnis uſu venire videmus, qui enim ignem accendere volunt exigua quadam aquula ignem ignorant.

97. Cur mulieres acuta ſunt voce, itemque & ſpadones, & pueri? Quia humiditatis abundantia, arteria eis in amplum minimè protenditur. Caliditatis enim officium eſt meatus in amplum relaxare. Ut ergo anguſta tibia acutum dedit ſonum, ſic & aſpera arteria: Dicunt autem nonnulli mulieres acutâ eſſe voce, quia conferat in paritudine clamare ad pariendi facilitatem, quod procul dubio falſum eſt.

98. Cur infantes æſtate ſiderantur? Quod vulgus æſtu laborare eos dicit. Febricitant enim tenui quadam profundaque febricula, iiſque oculi excavantur, fiuntque vigiles & imbecilles. Nonnulli verò & fluxu ventris laborant, quia infantes paſſibiles ſunt magnâque vim pituitæ in capite habent, ut dictum eſt. Igitur in æſtibus pituita ſupra modum excalefacta ac putrefacta febrim accendit; unde & cartilagines cerebri igneſcunt, atque ob id vigiles ſunt. Ignitio autem per arterias ad cor

deſcendens, & vivificum ſpiritum reddens ignitum, febrim ſine putredine accendit. Cùm verò ex febri multa bilis procreatur, evenit eâ ratione, quam ſuperius explicavimus, ut bile alvum átque inteſtina mordicante, ventris reſultet fluxus.

Eſſe autem ejus cauſam radicemque affectus in cerebro patet, quoniam capiti refrigerantia admoventur, eaque utpote ignitionem extinguentia proſunt. Laborant tamen hoc ipſo etiam adulti: quibus ſcilicet in capite pituita aut exiguum flavę bilis coacervatum ſit, & putreſcat. Per ipſam igitur inſpirationem, perque ignitum quodammodo aerem ſpiritus igneſcunt.

96. Cur rotunda ulcera difficile curantur? Quia ex bile acri, quæque vim corrodendi habeant, oriuntur. Nam quia guttatim confluat & corrodat, rotundum ulcus facit, propterque id ipſum exurendo deſiccandoque idonea reddunt medicamenta. Atque hoc quidem pacto medici, Naturales autem & Philoſophi eveniri id dicunt, quia nullum ſit principium, unde vomica incipiat. In circulo enim neque principium, neque finem accipere eſt, atque ob id dicunt, cùm ejus figuræ ulcera ferro à medicis incidantur, in figuram aliam demutari.

100. Cur aliquem ad locum vel neceſſario proficiſcentes, cùm tamen eò pervenerimus, ulterius aliquando progrediamur? Quia animum ſæpè in rem quampiam habemus intentum, eoque inclinatum & converſum, neque pe-

penitus ſenſibus imminentem, ut quæ iis propria ſint, cognoſcat. Velut igitur locum videntes, non vident, Neque enim præſto is eſt, qui ſenſibilia judicet.

101. Cur mel omnibus dulce, ictericis tamen guſtantibus, amarum videtur? Quia bilem amarum habent, quæ per totum corpus, perque ipſam linguam redundet. Mel igitur cùm comedunt, fit, ut quieſcens humor commoveatur. Guſtus deinde ipſe, cùm jam bilis amaritudinem ſenſit, imaginationem parit, ut mel amarum putetur.

102. Cur vehementer iraſcentibus oculi ignei fiunt? Quia ira fervidior eſt ejus ſanguis, qui fit circa cor, calidique ſpiritus. Hic igitur, utpote ſubtilior, ſupernè fertur, perque oculos, qui perſpicui ſunt, tranſparet, habent que vapores ſanguineos aſcendentes. Unde & facies rubra iis apparet. Hujus rei non ignarus Homerus inquit. Inſtar erent ardentis lumina flammæ.

103. Cur infuſa ſerpentibus aqua eos expellit? Quia natura frigidi ſunt, & ſicci, & nervoſi & exigui ſanguinis, fugiuntque immodicam frigiditatem. Eſſe autem illos hujuſcemodi habitudine, vel hinc colligitur. Latebras enim hyeme quærunt, terræque intima, utpote calidiora, Occidente autem ſole, ut plurimum rurſus aera, ut frigidum, fugiunt, rurſumque æſtate, quoniam terræ intima frigida ſunt, inde fugiunt, inque locos calidos demigrant.

104. Cur ovum ſi aſſetur, rumpitur: ſi in

aqua

aqua bulliat, minimè? Quia cùm igni ejus humiditas appropinquat, immodicè caleſit, & exuritur, pluresque ob id ſpiritus gignit, qui cùm ob loci anguſtiam exitum quærant, rupto putamine diffugiunt. Idem quoque agunt in doliis & in fictilibus novis, cùm muſtum effervet. Multa præterea flamma ovi putamen aſſatione diſrumpit: Id quod & fictilibus vaſis, ſupra modum aduſtis, accidit. Unde naturaliter vulgo ovum, cùm aſſandum eſt, aqua præmadidant: aqua enim calida ſuapte mollitie humiditates paulatim offendit ac per raritudines reſolvit.

105. Cur in coitus voluptate homines quodammodo connivent, atque huic aliquid ſimilæ & in cæteris ſenſibus patiuntur? Quia devicti ab effectu voluptatis, magis eam quodammodo conniventibus oculis comprehendunt. Non enim elevantur, ipſumque extrinſecus animum unà cum ſenſibus ad aera protrahunt, quo efficiatur, ut corporeos illos affectus minus ſentiant.

106. Cur nonnulla licet uniformia medicamenta, vim tamen contrariam habent, quemadmodum experientia ipſa indicat? Maſtiche enim ejicit, reſolvit & intendit, acetum autem & calefacit, & refrigerat. Quia inſunt iis individua, minimaque corpuſcula per interpoſitionem, non confuſionem. Ut arena humectata conglobatur, unumque corpus effici videtur, revera autem multa ſunt minutiſſima in arena corpuſcula. Quod ſi hoc verum eſt, haud eſt abſurdum aliis, aliiſque maſti-

ſtiches particulis contrarias virtutes & qualitates occultari, neque inter ſe confundi, quia natura eis tantùm corporibus legem illam inſervit.

107. Cur cûm pedis digitum offendimus, inguen tumeſcit? Quia ſemper natura, quæ ad corpus pertibant providens, ſolet accurrere velut auxilio his partibus, quæ dolore laborant: quoniam verò utiliſſimum omnium humorum & nutrientem, & cognatum, ipſum videlicet ſanguinem pro vehiculo habet, neceſſarium eſt, ut cùm ea ad pedis digitum unà cum ſanguine deſcendat, impleantur eæ venæ, quę maximè cum inguineſcunt, cæque partes, quæ circum vaſa ipſa ſint, atque adenes a Græcis appellentur: quippe quæ rotunda ſunt corpora. Immodica igitur conſtipatio inflammationem elevationemque efficit, appellaturque id inguen, ex ipſo loco denominationem mutuatum.

108. Cur natura avibus veſicam urinæ receptaculum, neque renes elargita eſt?

Quia multa indigebant humiditate, ut oriri pennæ atque increſcere poſſent. Eamque ipſa volandi exercitatione conſumunt. Neque omninò quidem mingunt. Cum verò bibunt, ſtercus immodicè humidum dejiciunt.

109. Cur pueris in veſica calculi gignuntur, ſenibus verò intra renes? Quia anguſtos in renibus meatus pueri habent. Terrenus verò humor & craſſus violentia anguſtiarum ab urina extruditur, tum è renibus ipſis

pſis, tum ex conceptaculis, quæ Lunæ formam habent, in ipſam urinæ veſicam. Ea cum latos habeat meatus, exeundi locum urinæ præbet, humori verò ipſi unde calculi gignuntur, inſidendi ſuoque more conſpiſſandi. At verò in ſenibus contra evenit. Laxos enim renium meatus habent, quo fit, ut urina exire, & terrenus humor inſidere congelarique poſſit.

Color autem calculi humorem quoque oſtendit, à quo ortum habeat. Solutio ex compoſitione ſituque membrorum.

110. Cur ſi caliditate calculus congelaſcit calidi enim ſunt pueri, ſimilique ratione fit in ſenibus: neque enim tanta concedenda eſt frigiditas, quanta in glacie niveque fit: extremo enim frigore renes demorerentur: non contrariis tamen ad frigidiatis ſolutionem verùm ſimilibus utimur, hoc eſt calidis, ut petroſenilo, fœniculo, & ejusmodi? Dicunt igitur accidere, ut exiſtione, torrefactioneque nimiâ calculus in arenulas exteratur. Quemadmodum in teſtis, in fictilibusque vaſis; cùm ſupra modum torrefacti fuerint, arenæ proveniunt. Fitque hoc pacto, ut exigui lapilli una cum arenulis facilè inter mejendum effluant. Evenit quoque nonnunquam, ut frigidâ epotâ, facilè calculus extrudatur, renibus videlicet protentis, ipſum fluxu nimio per excernendi virtutem dejicientibus. Evenitque præter hoc, ut immodicus renium ardor, cujus cauſa calculi congeleſcunt, â frigida extinguantur.

111. Cur in renibus, inque urinæ veſicâ ulcerum difficilis curatio? Quia urina, cum ſit acris, exulcerat cicatricem quam, opportuna medicamenta obducunt.

Magis autem in veſica intra inſanabilia ſunt, quæ intra eam permanet, urina in renibus autem defluit.

112. Cur in ſoliis calida aqua commota calidior nobis, noſtrumque ferè adurens corpus videtur? Quia deſcendentibus nobis appellens aqua & ipſa patitur, hoc eſt, cùm noſtrum ipſa calefaciat corpus; & ipſa a nobis quodammodo refrigeratur. Didicimus enim, quacunque in generatione corruptioneque agant, ea quoque ipſa procul dubio pati. Quoniam igitur aliquo refrigerata pacto, non jam ſimiliter excalefacit, manifeſtum eſt aſſueſſe jam nos, neque ipſam jam caliditatem ſentire, quemadmodum à principio, quoniam immodica ejus caliditas à nodis diminuatur. Si ergo calidam moventes, eamque quæ cuti adhæſerat, transmittamus. aliaque calida aqua ſyncerior accedat, nondũ videlicet, aut agens, aut a cute ipſa patiens, ſuamque caliditatem immodicam ſervans, meritò nobis calida, exurensque videtur, quatenus & ipſa agens patiatur, ſuamque remittat caliditatem, quemadmodum illa prior. Atque hoc per ſucceſſionem fieri poteſt: quamdiu enim calidam movemus, tamdiu ſemper ad nos accedens revera ipſa calida videtur: propterque id vulgus naturali motu, cùm vult in ſolio corpus magis

exca-

excalefieri, movet continenter aquam quod vult.

113. Quâ ratione ſi quicquid movetur, ſeſe ipſo calidius fit: maximeque in calido aere, & loco, aer tamen, cum verberatur atque movetur, frigidior nobis tactu videtur, idque vel maximè per æſtatem, quo tempore Solis calor multò ardentior eſt? Hoc videtur contrarium ſuperiori eſſe. Calida enim aqua calidior nobis ſolicitata videbatur. Hoc autem loco frigidior calidus videtur aer, cum & movetur & ſolicitatur. Dico igitur uſu hoc venire, ut quod in re quapiam plus eſt, aut qualitate, ac virtute, vincat quidem id, & vertat quod minus eſt: modicè verò & ipſum quod fortius eſt, contra patiatur. Calida igitur aqua, cum calida vehementer eſt; caleſcenti adhærens corpori, & ipſa contra refrigeratur, neque jam eandem qualitatem ſervat. Qui igitur nos circumdat aer, æſtate modicâ, cum ſit calidus, ad aquæ calidæ ſimilitudinem, ingruens in corpora, à nobis ardentibus ob calidum anni tempus, calefit quodammodo atque ipſe nos contra calefacit. Quod & lineæ agunt veſtes, quæ cum frigidæ prius eſſent, mox à nobis calefactæ nos ipſos poſtmodum calefaciunt.

Cum igitur aërem ſolicitamus, tranſmittitur è corpore, qui à nobis præcalefactus aer fuerat: alter autem nondum excalefactus accedit; qui nobis frigidus videtur. Idque per ſucceſſionem fit.

114. Cur quę in pupula oculi ulcera fiunt, cum

cùm exolevere, alba videntur, quæ verò extra pupulam in nigro oculi, non item? Quia per ſolam pupulam videndi ſpiritus exit, qui & perſpicuus eſt, & lucidus. In albedinibus igitur iis, quæ leucomata dicunt, cùm cicatrix meatus conſpiſſet ejus tunicæ, quæ cornea ſpecie eſt, jam non videndi ſpiritus exit: quo fit, ut magna deinceps copia contractus cicatricem illuſtret, eamque calidam oſtendat. Quoniam verò ex viſus condenſatione ſpiritus non exit, evenit, ut non videant.

115. Cur paleæ & calidam aquam & frigidam nivem, hoc eſt, adverſas inter ſe qualitates conſervant? Quia palearum natura manifeſtâ qualitate caret, unde & à nonnullis ἄποια hoc eſt, qualitatis expertes appellantur. Cùm igitur facilè ſuapte natura confundi, commiſceriq; poſſint, ocyſſimè quibus adhęſerint, conferunt, eorumque ipſæ confuſionem ſuſcipiunt. Collato enim ſibi calido caleſiunt, idque ipſæ contra recalefaciunt, atque conſervant, ſimiliterque frigefactæ à nive, eamque ipſę refrigerantes, frigiditatem ejus conſervant: quemadmodum & cera & oleum, quæ facilè confundi poſſunt, ſuntque item qualitatis expertia, conferunt eorum qualitati, quæ cum ipſis admiſcentur, quippe quæ & eorum confuſionem accipiant.

116. Cur brumâ per ſudum clariora videntur ſydera? Quia & à ventis, & ab imbribus, vel qui nos circundet aer, vel qui altior ſit, motu ipſo extenuatur, & quodammodo expurgatur, puriorem ſydereorum corporum con-

cep-

ceptionem, multoque faciliorum, ulterioremque progreſſum viſui præbet. Quod & in puris perſpicuiſque fluviorum aquis manifeſto apparet. Multò enim puriora clarioraque videntur, quæ in iis corpora inſunt. At in craſſis & cænoſis aut nullo modo aut confuſa tranſparent.

117. Cur ſæpè inter mejendum horremus? Quia acris bilis defluens atque urinæ veſicam mordicans, univerſum quoque irritat corpus, atque excitat ad ejus particulæ conſenſum, ut dejiciendi vim modice offerat. Atque ita, qui horror dicitur, effici ſolet. Hoc verò pueris maxime accidit: multò enim plura ob nimiam ſaturitatem excrementa ſunt nacti.

118. Cur noctu dolores magis intenduntur? Quia anima ſecum ipſa otioſo non jam aut viſui, aut auditui, aut aliud hujuſcemodi ſenſibus intendit, neque quicquam agit, neque ad externas actiones provocatur: quo efficitur, ut multò plus corporearum perturbationum tangendi ſenſu ſuſcipiat. Paucæ etenim per noctem animales operationes exiſtunt, quales ſunt reſpiratio & cogitatio. Animum verò cùm ad externa per ſuas operationes protrahatur, corporeas perturbationes minùs experiri manifeſtò apparet, quando in luctibus, in adverſis valetudinibus, inque cæteris hujuſcemodi accidentibus amicorum congreſſiones ac narratiunculę eorum, qui ſunt affecti, perturbationes allevant atque ſolantur: Animadvertere autem naturam quidem in ſuis operationibus minus interdiu agere, ut in ciborum

rum concoctionibus, in humorum permutationibus, in ſanguinis evocatione, in pullulandi, nutriendi, concreſcendi, ſimilitudinis, aliorumque his ſimilium operatione. Animam verò magis agere in ſuis actionibus,ut in quinque ſenſibus, in motibus particularum corporis,in imaginatione,in cogitatione & memoria. Contra verò noctu: magis enim agit natura, minus anima.

119. Cur vitrum perbrumam,cum quid vehementius in calidum injicitur, diſrumpi ſolet? Quia plurimâ frigiditate ex circumeunte aere, toto ſuo corpore affectum eſt. Cum igitur repentè calidam,non pręcalefacto vitro indimus, tum caliditas contrariam ſibi frigiditatem proculdubio perſequitur. Illa autem unà cum ſpiritu ipſo repentè fugiens confractionem eorum corporum efficit, quæ intra vitrum ſunt. Dandum enim eſt ineſſe & in vitro exiguos meatus, qui ſubtiliorem aera contineant, quos tametſi oculis ſenſuque non aſſequimur, natura tamen ipſa, reque vera ineſſe non defiteamur. Alii verò dicunt, quod vehementer ſit frigidum,id arefacere atque exaſperate vitri corpus: unde efficiatur, ut quæ ſubtilior in eo pars ſit. ſive is humor, ſive aer ſit, extrudetur, & velut evaneſcat, unde etiam confractioni corruptionique idoneum evadat, quemadmodum & aridiſſima ligna. Sic enim & Hippocrates ajebat venas à frigido rumpi. Quod igitur vehementer eſt calidum, id ejuſmodi vitri corpus inveniens, multò id magis arefaciens ruptionemque ejus efficit per fractio-

ctionem. Si ergo præmollitum fuerit, tum modicè præcalefactum nequaquam lædetur, quemadmodum & athletæ cùm ſunt luctaturi, oleo à magiſtris, quos pædotribas vocant, præmolliuntur: & qui vocem coercent, ut reſpirationis partes molliant, pręaniſſant. Etenim cùm ariditas in patentes illos meatus incidit, facilè unà cum ſpiritu profugit, & vitri mollitudo caliditati cedens haud facilè perfractionem ſubit. Eſſe autem in vitro meatus, vel è vaſis teſtaceis patet, in qua ſi aquam indas, atque hoc pice linas, exudet tamen humor. Videre eſt autem & fumum de vitri corpore per brumam erumpentem, cùm in ipſum aquam infuderis, & vitrum confractum, extrinſecusque applicatum eĩ liquori, qui ſit intus, qualitatem ſuam præbere.

120. Cur pueri, maximeque infantes, haud ita facilè luxantur ut viri? Quia ex mollitudine corporis ſolo terræ cedentes, reſolvunt ejus tenſionem ac duritiem, ut ulterius agere non poſſint. Viri igitur cum duo ſint corpore, quod aut terræ duritati, aut lapidi reſiſtunt, intenſionem percuſſionis adaugent, lapidemque ipſum cogunt in ſeſe, utpote duriores, agere. Hâc eadem ratione & ſpongia cedens non frangitur, vitrum verò aut teſta, aut quod aliud ejuſcemodi durum corpus caſu confringitur. Hinc progrediens è ſimilitudino dicere poſſis, cur venti motus vehementior quercum quidem dejicit, arundinem non dejicit? Quoniam quercus utpote dura robuſtaque & ingens vento reſiſtens, ejus vim intendit,

arundo

arundo verò, ut quæ mollis leviſque ſit & exigua, cum venti flatibus huc atque illuc cedat, ejus vim reſolvit. Eodemque pacto ludatur adverſario renitens, vim ejus adauget: cædens verò aliquando, cumque ex eo ſe una circumagens huc atque illuc, citius ejus tenſionem ſolvit.

121. Cur infantes nutricis canticum audientes vagitum ſiſtunt, mox verò etiam dormiunt?

Quia ſubſtantia muſicæ quemadmodum & ſcientiæ, artesque cæteræ animo ſint inſita, quemadmodum & igni calor eſt inſitus: quomodo & Plato ait: Reminiſci animum noſtrum ſcientias, non diſcere. Audiens igitur animus hujuscemodi canticum, quo quidem reminiſcitur, quieſcere infans cogit, quo verbò oblectatur, in ſomnum allicit. Nam cum labe corporis minimè ſit infectus, ſcientias quaſi perſpicuas habet, coinquinatus verò in corpore, in illarum modicam oblivionem delabitur.

122. Cur nutrices, cum ſomnum infantibus alliciunt, eos movent? Ut humores motu fuſi cerebrum moveant. Idem tolerare tamen non poſſunt adulti.

123. Cur nonnulli ebrii gemina vident? Quia oculorum musculi plus minusvè repleti, atque eo ipſo languidi, oculos, alterum ſurſum, alterum deorſum torquent: quo fit, ut oculorum radii eodem pariter non tendant, ſed in diverſa loca atque corpora, atque ita alteruter oculorum privato cernendi utens officio,

cio, duplicem efficiat viſum. Id eſſe verum vel inde apparet: qui enim digito alterum oculum terunt, ſenſimque ſurſum trudunt, gemina videre coguntur.

124. Cur qui natura ſtrabones ſunt, gemina non cernunt? Quia oculorum perverſionem non illi quidem ſurſum deorſumvè, ſed dextrorſum ſiniſtrorſumque habent, qui cùm eum poſitum ſortiti ſint, qui in rectam lineam moveatur, duos radios in idem corpus concurrentes habent, qui & unum colorum, qualitatemque ad oculos referunt, quam & ſuſcipiant.

125. Cur pubescentes pueri hirquiunt circa annum quartumdecimum? Quia tunc quæ per humana corpora natura meat, plurimam ac repentinam ætatis mutationem efficit. Cujus rei fidem operatio facit. Videre eſt enim fœminarum quidem augeri mammas propter lactis collectionem, tum ea loca, quæ circa coxam ſunt, intra quæ permanere fœtus poſſit. Virorum verò pectus atque humeros, quibus impoſita gravia corpora ſuſtineantur. Teſticulos præterea, intra quos & gigni & permanere ſemen poſſit. Membrum, quoque genitale, ut exire ſemen faciliùs poſſit. Univerſum prætereâ dilatatur corpus, quod & membrorum mutationes indicant, & quæ ſolutiones circa annum quartumdecimum fiunt, & vocis aſperitas, quæ branchus, hoc eſt, rauracitas appellatur, ſumpta videlicet tranſlatione ex hircorum voce, in eum modum clamantium.

Nam

Nam cùm aſpera arteria, à principio dilatetur: ſitque intus ejus corporis ſuperficies velut inæqualis, usque ad ipſum guttur: ſpiritus itaque per partes illas exiens, ac veluti offendens propter viæ inæqualitatem, vocem quoque inæqualem efficit, & aſperam & quodammodo raucam. Idem & iis accidit, quibus in aſperam arteriam deſtillationes defluunt. Fit enim defluente humiditate, ut levis intrinſecus membrana inæqualitate repletâ, inæqualem ſpiritus exitum efficiat. Talem verò ſcito eſſe & hircorum aſperam arteriam ac guttur, humiditatis videlicet abundantia, itemque eorum, qui plurima olei potu utantur. Atque illi quidem frequentibus intenſisque clamoribus, atque arterię aſperitate vocem quoque inæqualem habere putantur, Gruibus verò, atque iis omnibus volucribus, quibus aſpera vox ſit, arteriæ à natura toto aſperæ datæ ſunt. Poſt verò pubertatis annum hirquire pueri deſinunt, quia aſpera arteria tota, planeque dilatatur, ac naturalem æqualitatem accipit.

126. Cur epotum oleum ciet vomitum, maximeque flava bilis; Quia cùm leve ſit, quodque ad ſupera feratur, nutrimenta ad ſtomachum provocat, eaque elevat atque ſuſpendit. Atque ita ingravatus ſtomachus ejectam virtutem ad vomitum citat, atque inprimis flavam bilem; quippe quę & levis & ſubtilium ſit partium, atque ita facilius ſurſum feratur. Ferri verò oleum ſurſum reipſa patet. Cùm enim humido cuipiam admiſcetur, ſuperiorem in locum excurrit.

127. Cur ſolum oleum minimè humidis admiſcetur? Quia cùm lentum ſit, atque in ſemetipſo conſtipatum, ſecari in parteis individuas, atque ex pacto reliquis humidis admiſceri non poteſt, quamobrem nequi cùm in humum funditur, citò eam ſubit.

128. Cur oleum quidem atque aqua frigore conſtringitur, vinum vero, acetum & garus minimè? Quia cùm oleum qualitatis ſit expers, confuſionique idoneum, citò friget, atque ita vehementer, ut extremâ quoque frigiditate frigeat. Aqua vero ſuâ ſponte frigida facilè cùm ſemetipſa frigidior ſit, congelaſcit. Garus autem, utpote ſubtilium partium & calidus, haud citò friget. Eodemque modo & vinum. At acetum, utpote ſubtiliſſimarum partium, congelationem non tolerat.

129. Cur contraria qualitatibus idem efficiunt? A frigido enim pariter atque à calido humidum conſtringitur: nix enim & jus frigiditate congelascunt: cataplasmatœ verò & veſicæ calculi caliditate. Fit quidem id, ſed diversâ actione Calidum enim depascitur, conſumitque humiditatis copiam. Frigidum vero denſitate nimia obturans ſordidam humiditatem exprimit, quemadmodum & ſpongia manu preſſa, quam intra meatus aquam habet, abjicit.

130. Cur ſæpè horror ceſſavit, cùm quid formidoloſum incidit, ut fragor, quamvis audierit, qui laborat, ut cum repentina aqua dejicitur? Quoniam ſæpe numerò humoribus tempore digeſtis, atque attenuatis naturalis omnis

omnis calor vehementer ſimul,ac repertè,acutè in corporis intima fugiens, morbificum humorem conſumens reſolvit. Idem & theriaca facit, eorumque quàm plurima, quæ calida ſiccaque ſunt ſpecie, cùm poſt concoctionem ſumuntur.

131. Cur qui ſe circumagunt, neque id agere tamen conſueverunt, ut plurimum decidere ſolent? Quia animalem ſpiritum, qui fit in cerebro, conturbari cogunt, cumque humiditatibus unà convolvi. Is deinde cùm minus idoneus ad animalium vim ſuſcipiendam, ſenſitivam videlicet atque motivam efficiatur, non finit actionem in muſculos nervoſque permeare. Quo fit, ut corporis pondus, ut quod neque vehatur, neque ſuſtentetur ab anima, feratur ad terram, ad quam vergit, propterque idipſum & tenebras vident, quoniam videndi ſpiritus conturbatus ſit, neque pariter atque ſenſus reliqui operetur. Ac his, qui ſenſim circumagi conſueverunt, raró id accidit Facit enim conſuetudo, neque quaſi peregrinæ inter ſe ſint anima atque natura, ſed tempore quodammodo concilientur: quod enim paulatim continenterque fit, ſenſum latet, atque ubi plurimum evaſit, jam non ut peregrinum in ea incidit, quæ eum ſuſcipere conſueverunt.

132. Cur vitrea ſpecula valdè ſplendent? Quoniam albo plumbo intrinſecus linuntur, cujus natura lucida eſt, qu ſi cùm vitro, quod & ipſum ſplendidum eſt, admiſceatur, multò magis lucet, ſuoſque radios per vitri meatus

transmittens duplicat, quod in ſuperficie atque extra vitri corpus eſt, atque inde magnopere ſit lucidum.

133. Cur in ſpeculis, inque perſpicuis aquis nos ipſos videmus? Quoniam qualitas aſpectus ad ſplendida corpora migrans ex reflexione rurſus per oculorum radios ad ipſius ſpectaculum remigrat. Migrare autem qualitates à facie, neque eſſe id abſurdum & ii oſtendunt, qui juxta arbores manent, quod viridi aſpectu eſſe conſueverunt. Viridis enim qualitas viridium foliorum ad ipſam faciem demigrat. Similiter & in aquam fluentem migrans, eam quoque viridem oſtendit.

134. Cur puræ ſpeluncæ, & altiſſima loca atque pura vocis imaginem gignunt & remittunt? Quia & hæc quoque loca ex reflexione ictum remittentia ſoni imaginem edunt. Verberat enim vox aerem, aer verò locum, qui quo magis verberatur, eò magis verberat, eoque vehementiorem vocis efficit ſonum. Humida verò loca & veluti molliora, ictui cedentia, eumque reſolventia, imaginem minimè edunt, pro qualitate autem & quantitate ictus ac vocis redditur qualitas, quantitasque ejus imaginis, quæ Echo appellatur. Hanc pravè nonnulli deam quandam eſſe fabulantur: alii Pana dicunt ejus amore captum, quod procul dubio falſum eſt. Vir enim quidam ſapiens fuit, qui primus & cupiit, & perveſtigavit ejus cauſam vocis intelligere: atque ut qui amant, neque potiuntur, iniquo animo ferunt, eodem & ille pacto; donec ejus ſolutionem cauſa invenit,

venit, ægrè habebat. Quemadmodum & Endymion, qui primus Lunæ curſum invenit, vigilans noctes, ejusque curſum animadvertens, & motum inquirens interdiu dormiebat. Fabulantur igirur amatum eſſe à Luna eamque ad ipſum dormientem acceſſiſſe, quia ſui ipſius cauſæ ſolutionem *Philoſopho* quaſi tradidit. Quin & paſtorem fuiſſe tradunt, quod in diverſis puteis atque altis locis ejus motum ſuſpiciebat, & ei compactam fiſtulam tribuunt, quod loca edita ut plurimum perflantur, vel quod figurarum conſonantiam inquirebat. Similiterque *Prometheus* cum ſapiens eſſet; ſydereæque aquilæ cauſam perveſtigaret, naturamque ejus ac ſitum, cumque diſcendi cupiditate veluti exederetur, tum demum quievit, cum ei Hercules dubitationem omnem ſuâ ſapientiâ ſolvit.

135. Cur aqua ſtans, quæ in ſuperficie, non autem in profundo terræ ſit, lapide per eam jacto, multos circulos efficit? Quia jactus ejus in deſcenſione à quavis ſui corporis parte procul aquam lapis perſequitur, atque ita circulus fit, quouſque videlicet pertinet jactus deſcenſio: Quod ſi immodica ſit intenſio, & circulus major ſit, deſcendens autem usque ad terram lapis, ipſumque deinceps aquam corpore trahens, multos meritò circulos efficit. *Primo* enim ſuperficiem aquæ movens diducit, tum per ipſam perpetuò deſcendens ad profundum, rurſus dividens aquam & aliud efficit circulum. Atque hoc per ſucceſſionem ſit, donec lapis conſtiterit, ac requieverit. Quoniam

niam verò lapidis intentio eo deſcendente paulatim remittitur, neceſsè eſt poſteriorē quemque circulum priori contractiorem eſſe, quoniã & a lapide ſimiliter ictu ipſa aqua dividitur.

136. Cur riſum multi è liene oriri putant, aſſerentes non ſimiliter riſu videri affectos, quibus lien vitiatus, ut quibus integer ſit, imò verò illos magnoperè triſtes eſſe? Equidem ex accidenti arbitror non propriè riſus cauſam in liene conſiſtere. Nam ſi valeat, trahit ex jecore ſeorſum omnem & melancholicum humorem: quo fit, ut cùm purus defecatusque ſanguis, cùm per univerſum corpus, tum in cerebrum permeat, naturam ſimul animamque oblectet, atque inſtar vini eas exhilaret, & in tranquillitatem ducat, atque ita riſus movetur.

137. Cur mulæ non pariunt? Quia è diverſa animantium ſpecie conſtant, tum differentium qualitate & natura, ſeminum immixto aliud quiddam giguens, præter id, quod eſt prius, & eorum quæ genuerit, naturam abolet. Quemadmodum & candidi nigrique admixtio extremorum colorem abolens, colorem alium, qui eſt fuscus, generat, qui nihil extremorum omninò eſt. Generatrix igitur qualitas abolita eſt, & formarum aptitudo.

138. Cur qui naturâ ſurdi, iidem & muti? Quoniam quæ non audierunt, dicere exprimereque non poſſunt. Quidam verò medicorum dicunt unam eſſe nervorum conjugationem, quæ ad linguam, quæquè ad aures pertineat, quo fit, ut affectuum quoque conſenſus iis accidat.

accidat. Qui autem ex accidenti ſunt muti, ſurdi omninò non ſunt:localis enim oritur nervorum paſſio,

139. Cur qui jejuni diutius fuëre, ſumpto mox cibo rigent? Quia cibi ſumendi intervallo, bile redundant, atque ita acidum humorem coacervant. *Poſt* cibum igitur particulæ illæ corporis refotæ, bilem ab ſe in cutem abigunt atque ita rigor oritur, bile videlicet particulas ipſas mordicante, atque ad ſe perſequendum excitante.

140. Cur ſues ſurſum ſpectantes ſilent, cùm bajulantur? Quia ſupra cætera bruta ad humum ſemper vergunt. Fœtore enim delectantur, eumque requirunt. Ergo in repentina illa aſpectus mutatione veluti peregrinæ ſunt atque hoſpites, plurimoque lumine attentæ ſilentium perferunt. Quidam dicunt aſperam arteriam, quæ anguſto meatu ſit, reſupinæ ipſa figura coire.

141 Cur ſues fimo delectantur? Medicorum quidem ſententia eo naturaliter delectantur: habent enim maximum jecur, in quo & cupiditas ineſt. Ariſtoteles autem roſtri amplitudinem in cauſa eſſe putat: habet enim reſolventem ſeſe olfactum & cum fœtore veluti confligentem.

142. Cur convalescentibus ulceribus, & pituitate ceſſante pruritus oriuntur? Quia ſanata & conſolidata pars reliquias perſequitur humoris, qui contra naturam ineſt, quique ulcus effecerat, atque ita per aurem exiens, ſeſeque reſolvens pruritum efficit.

143. Cur qui affectus alterum tantum oculum inſeſtant, graviores diuturnioreſque ſunt? Duabus cauſis, quoniam fluxio ad unum oculum tantùm coacervatur: quicquid enim in plura diducitur, fit ſeipſo imbecillius minusque agis, quoque id magis fit, eò ineſficacius evadit. Vel quia cum ſeſe ſanus oculus in ſuis actionibus movet, & ægrotum oculum toties moveri cogit: ſcimus autem maximum cujusvis ægrotæ partis medicamentum in quiete ipſa conſiſtere.

144. Cur homo magis frequentiusque & vehementius, quam bruta ſternutit? Quia copioſiori magisq; vario alimento, potuque, idq; ultra ſatiem utitur, quod cum minimè concoquat, ut par eſt; multum congregat ſpirituum, ob multam humiditatem: ut ergo, utpote ſubtilis, cerebrum aſcendens, cogit frequenter ad excretionem excitari, ſternutamentumque efficit: Sonus igitur fit, quia per narium anguſtias vehemens ſpiritus meat, ut per ſedem ventris crepitus, per ſtomachum ructus, per guttur vox, per aures ſonitus, ſimiliterque per inteſtina immurmuratio illa, quæ borborigmos appellatur.

145. Cur mortuorum capilli unguesque ad tempus aliquod augentur? Quia marcente carne, quæ carnes circa eorum radices occuluntur, nunc apparent atque decipiunt, imaginationemque afferunt, quaſi creverint. Alii revera dicunt augeri, quia hæc ab incrementis eorum habere ſóleant. Cadavera autem in excrementa quàm plurima à principio propter

acce-

accedentem putredinem reſolvuntur: hæc autem & per meatus & per corporis extrema unà cum corpore ipſo exeuntia ſupra dictorum ortum ad augent.

146. Cur in digitis manuum potius, quàm in pedibus vitiliginum ſpecies eæ, quas leucas vocant, oriuntur, puerisque magis quàm perfectis? Quia ortum ex pituitæ excremento habent. Pituita autem pueri, utpote edaces ac pigriores, magis abundant. Pedum verò ungues motu de ambulationeque magis exercentur, excrementaque reſolvunt.

147. Cur pili in pedibus haud citò canescunt? Eâdem ratione. Pedes enim frequenti intenſaque ambulatione, quod in ſe decurrerit pituitatis excrementum reſolvunt: id autem canos gignit. Pubes autem & ipſa ſerò canescit, quia natura calida eſt, atque in coitu pituitam reſolvit.

148. Cur quàm plurima animantia caudas motant, cum notos agnoscunt, leo vero etiam latus verberat, cum iraseitur, eodemque modo taurus? quia tergi medullam ad caudam usque pertinentem habent, quæ in ſe motivam animalemque vim continet. Anima igitur, quod ſibi notum eſt agnoscens, veluti manu aliqua, ut in hominibus evenit, caudam mutare cogit, quæ manifeſto oſtendat ejus intra ſe vim occultam ineſſe, quæ quod oportet, agnoscat. In leonem verò ac taurorum excandeſcentia conſentit natura animæ, eamque vehementius moveri cogit, quemadmodum & homines manus ipſi ſuas, aliamvè corporis par-

tem ſæpè irati verberant. Cum enim nequeat anima, quod ſe lædat ulciſci, ſtatim alio ſibi modo ſolatium excogitat, ſuumque affectum ictu percuſſioneque curat.

149. Cur ſi exuſta & ſicca hordea ulceribus equorum imponantur, non jam albus cicatricibus pilus, ſed reliquo concolor innaſcitur? quia ejiciendi vim habent, abſterguntque & reſolvunt inſidens pituitatis excrementum, atque inutilem omnem operationem, quæ propter ulceris eruditatem, propterque ejus partis imbecillitatem coacto fuerit.

150. Cur in hominum ulceribus pilus haudquaquam innaſcitur? quia hominum cutis ſpiſſa eſt, argumentum pilorum tenuitas ac mollicies. Cum verò cicatrix cute ipſa ſit conſpiſſatior, meatus occæat. Equis autem, quod ad comparationem pertinet, rarior eſt argumento craſſior pilus, quapropter minimè iis meatus totus in cicatricem occluditur. Subſidentia vero & congregata excrementa, cum per tenues illos meatus, qui ſuperſunt, erumpant, concreſcunt, & pilum gignunt.

151. Cur quos dipſas momorderit, ſitique ſint intolerabili affecti, eis epota theriaca aquæ ſicca calidaque eſt, ſitim ſedat, non autem magis incendit? Dico igitur non qualitatis ratione ſitim ſedare, ſed mutuo quodam conſenſu ac ratione naturali: Id eſt hujuſcemodi antidotus, quæ plurimus ex herbis componitur, quæ conſenſum aliquem cum ſingulis corporis partibus habeant, velut dictamum proprietatem quandam adverſus cor habet ipſumque confirmat,

& ſervat: eupatorium verò cum jecore, ſcolopendrium cum liene, petroſelinum cum ventris orificio, hyſſopus verò cum ſepto & cum pulmone, helenium verò cum renibus, ruta cum colle, gentiana cum cerebro, ſeſeli autem cum veſica urinæ. Unum quodque igitur horum mellis dulcedine allectum trahit, quod ſibi proprium ad tutelam eſt. Inter quæ omnia ſunt & viperarum immixtæ carnes, quæ naturalem quendam mutuum affectum habent, quam antipathiam dicunt adverſus quodvis venenoſum animal, corruptibilemque virtutem.

In ſingulas igitur partes diſtributa, affectum illum, qui corruptionem minetur, agere non ſinunt. Repugnant enim ceu legitimi quidam milites, qui pro ſuâ ipſorum patriâ arma ceperint.

SEQUUNTUR PLUTARCHI PROBLEMATA

Quædam ſelectiora.

QUid eſt, quod Luperci canem immolant: Luperci autem ſunt, qui Lupercalibus per Laſciviam diſcurrentes pellibus ob vios cædunt. An quod genus quoddam luſtrandæ civitatis eſt, & quo menſe illa fiunt, Februarius dicitur, & diem, quo pellibus occurrentes verberant, Februarum & Februarium vocant, quo verbo purgatio ſignificatur? Cane autem omninò, ut, ita dicam, Græcè utebantur: & multi etiam nunc in purgationibus canem jugulant. Proſerpinæ quoque catulos cum cæteris purgamentis offerunt, & eos, qui expiandi ſunt, catulis expurgant, hoc piaculi genus περισκυλακισμὸν, id eſt, circum catulationem appellantes. An quòd lycos, lupus Latinè dicitur, λυκαῖα verò lupercalia, & lupo canis eſt hoſtis, & idcirco Lupercalibus cæditur? An quod Lupercis canes oblatrantes moleſti ſunt? An quia Pani ſacrificium facit, Pani autem propter greges amicus eſt canis;

Quid eſt quòd Septimontio vehiculis junctis uti cavebant, & nunc etiam qui vetera non contemnunt, cavent? Septimontium verò diem

diem feſtum agunt Romani, quod cùm ſeptimus collis urbi attributus eſt, ſepticollis Roma facta eſt. An ut quidam Latini accipiunt, quòd urbs nondum ſuis partibus penitus conjuncta erat? An hoc quidem ad Dionyſium eſt? Magna verò re affectâ conſtitutâ civitate, quod urbem jam augeri, & quaſi ulterius progredi deſiiſſe exiſtimarent, cùm ſeipos, tùm verò jumenta, quibus fuerant uſi, quiete offecerunt, & communi feſti otio frui voluerunt: An quod cùm omnes dies feſto civium præſentia ornari ac celebrari ſemper voluerunt: tum illum præcipuè, qui propter civitatis habitationem ageretur?

Quapropter ne urbem, cujus dies feſtus ageretur, relinquerent, eo die vehiculis uti permiſſum non eſt. Cur in furto, aut ejuſmodi aliquo flagitio deprehenſos, furciferos appellant? An hoc quoque majorum noſtrorum diligentiæ certiſſimum ſignum eſt? Nam qui ſervum alicujus ſceleris aut improbitatis conviciſſet, duplex lignum, quod currui ſubjicit, attollere jubebat, & ut conſpiceretur viciniam obire, ut fidem in poſterum ei non haberent, & ab ea caverent. Hoc lignum Græci σαυρὸν, Latini furcam nominant: à qua furcifer denominatus eſt.

Quid eſt, quod bovi, qui cornu petat, fœnum in cornu apponunt, ut occurrentes caveant. An quia propter repletionem at ſatietatem, inſolescunt & boves, & equi, & aſini & homines, ut ait Sophocles? Tu verò ferves,

quaſi

quaſi pullus cibi copia: venter enim tuus & malè inſolescit. Ex quo Romani M. Craſſum fœnum in cornu habere dictaverunt, & qui cæteros in Republica lacerabant, hunc tanquam munitum ac providum, & injuriarum perſequentiſſimum fugiebant: quanquam poſtea rurſus dictum eſt, Cæſarem Craſſo fœnum detraxiſſe. Primus enim illi in Republicę reſtitit Cæſar, & eum contempſit.

FINIS.

PROBLEMATA
GELLIANA
JUL. CÆSAR.
SCALIGERI.

PROBLEMATA GELLIANA, EX JUL. CÆSAR. SCALIGERI

Familiarium exercitationum lib.

I.

QUamobrem factum eſt, ut ſtadium, quod metatus eſt Hercules, prolixius eſſet cæteris: cum conſtet Herculem æquè procerum cum cæteris fuiſſe? Annon eſt is Hercules, qui ſtadium ſtatuit, Jovis & Alcmenæ filius? Sed ante Jovem natus, & ejus altor unà cum reliquis Corybantibus, Hercules enim Alcmenæ, inſtauravit Olympicum certamen, potitus Augea, quod prius poſitum erat ab Hercule, uno ex Corybantibus. An id falſum eſt: & neque pedibus metatum ſtadium eſſe, ſed ſpiritu uno Herculis, quemadmodum nonnulli voluerunt: Cujus ſpiritus continendi, & currendi idem finis eſſet?

II.

Quamobrem Herodes Atticus, adoleſcentem importunæ loquacitatis reprehendit? An quod teneram ætatem oportet aſſueſcere audiendo, & animum meditando effingere decet, quam vana loquacitate deprehendi? Ob id (ut

in

in aliud tempus Pythagoreos omittam) ajunt Ariſtotelem duodecimo demum anno linguā ſilentio exercitam ab animo præmeditato, exoluiſſe ad *P*hiloſophica meditamenta. Et apud Homerum, vitæ omnis, ut rectè vult Horatius, lumem, ſemper ſenes primas partes in loquendo habent. Eis enim id muneris ſæpius attribuit: quippe qui & multa, & rectè loqui poſſent. An quod Stoicorum ſectam, ut erat paulò ſeverior qui ea primum initiabantur, deducebant, in invidiam, dum re ſeria uti neſcirent? An potius Herodem Atticum, Academicum tædium ceperat argutuli Stoici? Sectæ enim illæ duæ maximè adverſantur: *P*roptereaque *P*lutarchi multa extant Commentaria adverſus Stoicos: & unus in quo illudit jactabundus Stoicis.

III.

Quamobrem *P*ericles petenti amico quodam ſolutius, dixit, apud ſe intra deorum rationem animum conſiſtere? Quære φίλος, φιλία, Περικλῆς, θεοὶ, περισίβζα, θεῖον δαιμόνιον

IV.

Quamobrem Hortenſium latrunculum dixit Torquatus? An quòd argutæ, ut inquit eſſent manus? Quod notabat Cicero, & propterea hiſtrionis nomine appellavit, quod geſtu maximè valeret. Nam eum de principatu cum Cicerone geſtu contendiſſe conſtat, & pronunciatione: qui geſtus in orationibus editus cùm non appareat, vix proximum locum vindicavit. *P*lurimum valet pronuntiatio cui ter prin-

cipatu m

Plautus, *in mentem fui.* Cicero, *in poteſtatem prædonum fuiſſe.*

VIII.

Quamobrem *explicavi*, non *explicui*, dixit Cicero his verbis: *Teſtis eſt Sicilia, quam undique cinctam periculis, non terrore belli, ſed conſilii celeritate explicavi?* An ut graviorem numerum faceret? Vide apud ipſum de numeris. Vide Priſcianum de hoc verbo.

IX

Quare Lais popoſcit Demoſtheni pro ſui copia facienda decem millia drachmarum: cum ille reſpondit, *non emo tanti pœnitere?* Quære quæ de Laide dicuntur.

X.

Utrum rectè per ſilentium inſtituebant Pithagori? quære σιγή vide Plutarchum. In ſacris non tacebant, ſed favebant linguis: Prætereuntes fana heroibus dicata, ſilebant.

XI.

Quamobrem Lacedæmonii erant cum tibiis in procinctu? An ut moderatiores ſeſe committerent (nam damnat impetum in Gallis Livius) ita ſe reſervarent hoſtium laſſitudini? An quod magis eruditum eſt περὶ ὀργήσεως &c. Quęre κίθαρα λύρα αὐλὸς σάλπιγξ apud Athenæum. Tibia enim accenduntur animi: quære ἱερόδωρος apud Athenęum, cujus opera animati ſunt milites ad impellendam Eleopolim. *Dic de Eleopoli.* Vide Nonnium, Feſtum. Cùm etiam primam navim in mare deducerent Heroës, fortiſſimis illis viris, ut vult Homerus,

non

tos, qui revocati ad ſigna non fuiſſent, quàm qui ex acie egredi auſi eſſent.

XIV.

Quamobrem C. Fabricius à Samnitibus oblatam pecuniam repudiavit? An, ut ipſe dicebat, dum ſua membra ſub ſe haberet, neque ipſe haberet nihil, nihilque ei defuturum? An quod erat rudis miles, & nequicquam reip. ſciens, aut rerum humanarum? Acceptam enim pecuniam ſi nefas ducebat, eam vertere in reip. commoda debebat, quod ex hoſtium erat donis. Saltem ei erant amici, erant cives. Nam Apollonium Tyranæum ſcribit Philoſtratus vitio vertiſſe Anaxaritæ, quod multa talenta jumentis Minois inſumpſiſſet: Magis vero damnaſſe Cratetem Thebanum, quod abjectis in mare opibus, neque ſibi, neque beſtiis uſui fuiſſet. At vero, inquit Apollonius, ego ſaltem habeo amicos, qui hæc mea ſibi de me parent. Item Alexandrum interrogaſſe ferunt **** Philoſophum dona ſua repudiantem, ex Philoſophorum dogmate, an amicum haberet? Nam, inquit, Darii opes vix mihi in amicos fuere quæ ſuppeditarent. Quod ſi Fabricius nolebat civium induſtriam corrumpi pecuniarum acceptione: ſaltem ex rei bellicæ peritia noverit extorquenda eſſe omnia ab hoſtibus commoda. An verò non accepit, ut eſſent ſtructiores hoſtes, quibuſcum reſp. haberet, quid ageret? An potiùs quia hoſtium dona inutilia: imo vero ex proverbio inutilia ſunt, ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα κ᾽ οὐκ ὀνήσιμα.

XV.

libros Sibyllinos Romanos conſuluiſſe. Quod ſi tres omnes omnino fuiſſent, & tertia tantum librorum pars ad Torquatum pervenit, jam unum tantùm apud Romanos fuiſſe diceretur.

XIX.

Quemadmodum intelligendum eſt illud: *Planum eſt quod in duas partes ſolùm lineas habet, qua latum eſt, & qua longum eſt, ut triquetra.* Nam primo videtur minùs explicatum, in duas partes dici ductas lineas: cùm duabus lineis non concludatur figura, de rectis loquor. Deinde quomodo in triangulo lineæ ductę erunt in duas partes? Tantundem autem efficit in cubo ternarius numerus, quot diebus Luna ſuum orbem metitur: quia ter terna cubum faciunt novem; tum ter novem, &c. Intelligendum autem eſt de orbe noſtro excentrico, quia cum orbem dimidio horum dierum metitur. Quod vero à Varrone dictum eſt, *Linea eſt longitudo ſine latitudine & altitudine*, abundans eſt & otioſa definitio. Nam remota latitudine ſi altitudinem dederis, ea fuerit longitudo. Linea igitur, longitudo pura, vel ſimplex, id eſt, ſeorſum à cæteris, quas iſti *dimenſiones* vocant.

XX.

Quare lapidem Jovem jurare, ſactiſſimum fuit jusjurandum? An ut averterentur ex conſuetudine animi hominum à veris juramentis; Unde Socratem ajunt per canem juráſſe. Vide in iis, quæ ex Suida excerpta ſunt: An ipſe luſit Favorinus?

XXI.

Quamobrem impropriè dixit Virgilius *modo vita ſuperſit?* An ſibi arrogavit licentiam deprecatus poërica autoritate? An hoc infandum, de illo homine dicere, his verbis paulo minùs ſignate, & ex uſu locutum? Cum ipſe nihil dixerit paulò ad uſum minùs accidentia: quæ non coactus, ſed ſtudio imitatus antiquitatem cujus prudentiſſimus ſtudioſus extitit extuliſſe videatur. Et hoc loco idem ait, farra ſupra laborem eſſe, & vitam ſupra ſpem, quam concipit de reportanda palma, id quod ultra pollicitationem præſtitit. Animadvertimus præterea in Catilinæ Oratione, *iſtis divitias ſuperaſſe.* Et apud Lucret & M. Tullium, *quod ſuperes.*

XXII.

Quamobrem Papyrius prætextatus? vide Plutarch. 351. 1.

XXIII.

Induciæ eſt pax caſtrorum, paucorum dierum Rectè, pax: nam tunc bellum ſublatum eſt: ſed cum, inquit, bellum manet, pugna ceſſat, cum fiunt utrinque excubiæ nocturnæ, & nihil committitur, tunc pugna ceſſat, certamen non ſunt inducię: Et quia pax intelligitur ſublato bello, ideo ſuſtulit bellum per paucos dies. Intelligit paucos, ad proportionem totius belli temporis. Cum autem *caſtrorum*, dicitur, intelligo pacem, non in caſtris tantùm, ſed in quam duo caſtra convenere. Ubi verò induciæ ſex horarum poſtulabantur, adjectum erat, ſex horarum: quia induciæ per ſe importabant

tabant dies. Quare non rectè accurate habita ſit induciarum explanatio per belli ferias, cùm idem verbum Græcum allegatum ἐκ εχɛιρία id ſignificet: quod feriæ importent manum ſeu abſtinendam, ſeu continendam, ſeu magis cohibendam: quàm quod infertur ab eodem qui hęc vituperat. Pactum induciarum hujuſmodi eſt; ut in diem certum non pugnetur, nihilque incommodi detur: ſed ex eo die poſtea uti jam omnia belli jure agantur.

XXIV.

Utrum viro gravi iraſcendum? An ira furor brevis eſt? & propterea omnia ſemina furoris à ſapiente fugienda? An præſtat animum excitari quodammodo: Vide ὀργὴ σοφὸς

XXV.

Quamobrem dictum eſt οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς. An propterea quòd Lais formoſa muliercula immani pretio amatorum deſideria fruſtrabatur? Et idcirco ajunt Demoſthenē perterritum pretio dixiſſe, *non emo tanti penitere.* Quia mirabatur tumultum populi ſibi parere: precio autem potius quàm autoritate mulierem moveri. Nihil tamen mirandum, cùm & Pencles dicebat filium ſuum toti Græcię imperare, Gręciam Athenienſibus, his Periclem, ſibi mulieri, maleri filium. Eam Laïdem ajunt amore captam Hippolochi Theſſali, ex Corintho confugiſſe in Theſſaliam: ſed livore aliarum mulierum interemptam, ubi viſebatur fanum Homicidæ Veneris. Tametſi hoc videtur non poſſe ſimul eſſe, cum iis quæ ab Epi-

Ita ubi erat opus aſpiratione, ibi inulta nota fuit: poſtea diviſa altera pars aſpiravit. altera aſpirationem intercepit. *Præterea* conſtat, quemadmodum ipſe de *aliena* ait, omnium Grecorum ſolos Atticos ταὼν in medio aſpiraſſe communi notula: Et ut nonnulli voluerunt etiam, eam vocem quæ eſt λαῤίνοι, æquè in dio.

XXVII.

Quamobrem de Lyſiæ oratione ſi verbum demas, de ſententia detraxeris? An filius Lyſiacæ orationis eſt adeo tenuis, ut agat ſemper ſententiis nullo verbo otioſo? unde Atticum illud dicendi deductum volebant, quod tamen Cicero improbat. Porrò Plato ei imitatorem, quàm Iſocratem, putat neminem. Et quidem ſic placet Græcis Criticis, Lyſiæ orationem eam eſſe, quæ vera regula ſit, purè, rectè, & incorruptè dicendi.

XXVIII.

Quamobrem *Illaudati Buſiridis aras* dixit ſummus Poëta? An quòd poſita privatione cujuſpiam rei ſtatim alterum extremum reſultat? Ita illaudatus, qui omni probro dignus eſſe videbatur. An hoc videtur duriuſculum? Propterea dicendum, illaudatum, innominatum, quaſi illaudabilem, memoria indignum. An hoc extortum videtur? Multi enim nominis fuit, & ſatis prudens. Se enim è Lybia in Ægyptum tranſtulit, & Nilo circumducto fertilem & commodam reddidit regionem. Præterea referebat genus ad Jovem per Lybiam matrem, filiam Epaphi, quem ex Iſide

 ſuſtulit

ſuſtulit Jupiter. Dicendúmne igitur, illaudati, id eſt valde laudati, ut infractum. An hoc lenius eſt paulo, & propterea dicendum illaudati, id eſt nequaquam laudati? A Polycrate dicendi magiſtro diſſentit Iſocrates, qui eum non laudaſſe Buſiridem, ſed vituperaſſe dicit. Neque obſtat ſummum Poëtam rationem habuiſſe laudationis Polycratis: quoniam ſunt & qui eum valde laudatum dicant, & qui non laudandum volunt. Ita igitur interpretandum illaudati, id eſt, qui adeo turpis fuit, ut nullus in ejus vita locus eſſet, unde laudatio quæpiam duceretur.

XXIX.

Quamobrem de uno tantùm filio *liberos* in numero multitudinis rectè dictum eſt? An quod iſta vox cùm pro filiis ponitur, alium pręterea numerum non recipit? Non magis quam ſi quis ſcalas dixerit & quadrigas & ſcopas eum habere, cui tamen non plures unis eſſent.

XXX.

Quamobrem deſitus eſt honos haberi ſenioribus, aut iis qui patres eſſent? An quia neceſſarii magis reip. viſi ſunt, qui patres eſſent propter inventutem? An hoc falſum eſt, quia uno edémque tempore editæ leges ſunt, quibus ſenes maximo honori eſſent, & qui non mariti, multandi.

XXXI.

Quamobrem dictum eſt, *& quem tibi longævo*, &c. cùm humatus pater non ſit longævus? An quia longævum intelligit indigetem, non autem immortalem futurum, ſed longævum:

vum: nam Dæmonas tandem interire. Vide de Dæmonibus Apollinarem. An hoc argutum eſt, dicendumq; ſubdidiſſe ſecum longævum, ad Æneæ ſolatium, poſt cujus fata naſceretur Silvius? Modus loquendi: ſervatum, id eſt pariet filium conceptum ex te longævo, editumque educet: Et quia dixerat, *Silvius*, addidit, *regem*, ad ejus ſolatium.

XXXII.

Quamobrem Septentriones dictis? An à ſeptem ſtellis tantum, otioſa deſinentia? An à bobus etiam ruſtica lingua *Teriones* dictis? An à figura triquetra? An à terendo, eo quòd terant partem illam poli? Aſſiſtunt enim, videnturque aſſidue.

XXXIII.

Quomodo ſol poteſt eſſe Solſtitialis, aut brumalis? An ſolſtitium tantum æſtivum intelligit. contra omnium autorum traditionem? Quaſi verò æquè brumali & æſtivo non ſint ſolſtitia, quas τϱόπαι Græci vocant. Nam Manilius de Cancro dixit.

Luceſque reflectit

Nos item de Capricorno--: *nocteſque reflectit* dicemus. Solſtitia verò dicta ſunt, quia ſol ſtare videtur: ea ratione quam afferunt Aſtronomi. Sol enim in ſuo excentrico per Signorum ordinem procedens, paulò minùs una parte, licet non eodem reſultante, in Zodiaco, rapitur vi cœli ultimi. Per motum diurnum ſignat centro ſui corporis circulum: quemadmodum polus Zodiaci circulum ſignat. Sed is circulus, quem ſol quotidie ſig-

nat, non eſt circulus, ſed magis quædam ſpira. Neque enim revolutionis finis eodem committitur, unde initium habuerat: Major enim diſtantia eſt à puncto, unde digreſſus eſt, ad punctum, ad quem horæ 24 eum perduxere: Ubi proprior ſit iis ſignis, quæ ſigna propiùs ad Æquinoctium accedunt propter obliquitatem. Ita cùm tendit ad Solſtitia, propter lineæ propè rectitudinem, vix variat: ideo Solſtitia dicta.

XXXIV.

Quamobrem Eurus dictus eſt? An παρὰ τὸ ῥεῦμα ἀπὸ τῆς ἕω? An verò quia profuſus ſit: nullum enim ventum pertinaciorem videmus, aut profuſiorem. Nam cæteri fermè venti non vexant nobis mare ſimul & aërem. Dicitur igitur quaſi εὐρὺ ῥέων. Is verò non idem cum ἀφηλιώτῃ eſt: ſed alius, & opponitur Coro. Subſolanus autem adverſus Favonium ſpirat ab Æquinoctio oriente Eurum autem *vulturnum* noſtri appellant, propter flatus vehementiam. Nam cùm Aquilonem ab aquila dixiſſent, hunc à vulture nominârunt. Neque Boreas à Solſtitio æſtivo ab oriente flat: ſed ibi eſt ** adverſus Affricum ſpirans, quem *Libam* dicunt. Aquilo autem, qui & Boreas dicitur, eſt inter hunc & Septentrionem, quem ἀπαρκτίαν, quaſi adverſum dicunt. Euronotus autem particeps Euri, id eſt vulturni & Noti, id eſt Auſtri, qui contra Septentrionem flat. Argeſtem & Caurum eundem, contra vulturnum: favonium eundem & Zephyrum, contra Subſolanum. Deinde cum dicit Japigem

gem adverſus Eurum flare, & proptera ſuſpicari eundem cum Cauro eſſe, quis ignorat Eteſias eſſe Aquilones, æſtum anni temperantes ac rabiem, mutare navem una cum tempeſtate. De his Plinius, & Lucretius. Nam Demoſthenes Eteſias prohibituras inquit navigationem Athenienſibus in Thraciam. Aratus etiam meminit. Vide Vitruvium.

XXXV.

Quamobrem non eſt dicendum ex uſu *rarenter*? An quia à *falſus*, *tutus*, *falsò* &, *tutò* dicimus: ita ab eo quod eſt *rarus*, *rarò*, dicimus? Fundamentum ejus quod eſt *rarenter*, non eſt ut in *frequenter*, *conſtanter* & *fortiter*. Dure igitur diceremus. *naviter* tamen voluerunt.

XXXVI.

Quare Æſopus per Apologas ſapientiam tradidit inſtituendam? An quia erat veterum inſtitutum, ut quibusdam velamentis ederent ſapientiam? quod è Pythagorę ſymbolis & Ægyptiorum conſtat: quod tamen ab Ariſtotele non probatur. An quia ſic exemplis cautius ſibi viſus eſt hominum animos informare potuiſſe, quàm præceptis irritare? An quia ſervus fuerat, prudentiſſima via & ratione uſus eſt ad commonefaciendum?

XXXVII.

Quare Athenienſes à ſero diei, usque iterum ad idem temporis, integrum diem ducunt? An quòd quia tenebris ſuperinductum lumen eſt, & nox præceſſit diem, ideo à nocte incipiunt? An hoc falſum eſt, quia noctem

non poſſumus dicere niſi dies præceſſerit? Nox enim diei privatio eſt, & habitus omnino ſupponi debet. An quia ſolem colebant, ubi ipſe ſol abeſſe cœperat, initium diverſi temporis volebant eſſe? An hoc non eſt probabile? magis enim videtur contrarium. Ideóque dicendum eſt noctem propter ſilentium & meditationem Athenienſibus omnium bonarum artium inventoribus potiorem die fuiſſe: propterea εὐφρόνην toties dictam ab Heraclito & cæteris. An verò hæc obſervatio ſerò invecta eſt? & ideo verum eſt diem filium noctis eſſe ex Sophocle: Genitivum enim genitum præcedere. An potiùs quòd noctis filios homines, deos deáſque ex Orpheo eſſe putent?

XXXVIII.

Quamobrem Babylonii ab exorto ſole initium diei habent? An quia Deus appellatur naturalis, non à nocte incipiendum eſt, ſed à diei exordio? An magis quia eundem Belum & ſolem ſibi Deum eſſe dixerunt, exortum colunt, indeque dies ſuos incipiunt computare?

XXXIX.

Quis fuit primus Græcis qui barbam raſit. An Alexander Macedo, qui id edicentem ſe miranti Hepheſtioni oſtendit eſſe hoſtibus anſam peroportunam. Capta urbe à Gallis, ſcimus Senatorum cædem orſam, quòd Gallo ſibi barbam demulcenti Romanus ſcipionem in caput incuſſerat.

Quam-

XL.

Quamobrem qui equum Sejanum habebat, malo fato afflictabatur? An quòd ita equi illius natura erat, ut de monili Eriphiles accepimus, apud Pauſaniam de auro Toloſano. Simile eſt in Brenno, qui cum Templum Delphicum populâſſet, pœnas dedit: Ejus milites comminuti ſunt caſu montis: Item pars concremati ad Nilum cum Ptolemæo, cui ſuam operam locaverant: deprehenſi enim fuerant inſidias ſtruere.

XLI.

Quare ſunt dies illi Alcyonii? An quòd ſeptem filiæ Alcyonis gigantis, quæ contracto dolore de interitu patris, præcipites ſe dedere in mare; & Amphitrite eas aves fecit? Earum nomina, Pellace, Pheſtenia, Anthe, Methene, Alcippa, Draimo, Aſteria. Philocorus tantum octo tradit: Simonides undecim.

XLII.

Quamobrem dictum eſt Lunam quater ſeptenis curriculum ſuum conficere diebus? An ut omnia quadrarent ejus opinioni? An hoc nequaquam verum eſt, &c.

XLIII.

Ab atro atrocem: à velo velocem: à procando procacem: ab audendo audacem: edendo edacem: bibendo bibacem: loquendo loquacem: vino vinoſum: viro viroſum: ſtudio ſtudioſum; vitio vitioſum; bibendo biboſum.

XLIV.

Quamobrem *dimidium librum* non licet dicere, *dimidiatum* autem licet; An quòd dimidiatum, adjectivum eſt, & reſtè habet cum ſuo ſubſtantivo? duo autem ſubſtantiva malè haberent. Ita *dimidium nummorum* dicam me recepiſſe: & *ſextarii dimidium*, & dicam, *argenti dimidium* meum eſſe. *Dimidium libri* legi id eſt partem, quæ altera æqua eſt libri, & quæ cum altera dimiditatum librum facit. Ita enim poſuit puriſſimus Latinæ linguæ autor, ut vult Craſſus, Lucilius. Neque *dimidiam partem* dicas: neque *hora dimidia*, ſed *hora dimidio*. Plautus, *auri dimidium*, & *obſonii dimidium*: Et *dimidiatum*, apud Catullum, *digitum*, digiti dimidium intellige, id eſt defode ad dimidium digiti. Ut ſi quis digitum defodiat usque ad dimidium, jam defoſſione digitus ille dimidiatus eſt. Ita homines defoſſi, dimidiati videbantur: quia dimidium tantum extat, ſicut in re dimidiata.

XLV.

Quamobrem in amplexantes Diagoram patrem tres filios Olympicorum certaminum victores, populus flores jaciebat? An quòd feliciſſimus pater trium victorum videbatur: Declarabantur enim victorum nomina, patris & patriæ? An quòd ex conſuetudine à veteribus tradita, id omnibus alioqui victoribus fieret: allato à Theſeo more de Creta, occiſo Minotauro? Vide apud Pauſaniam de fœmina quæ ſpectaverat Olympia.

XLVI.

Quamobrem octavo menſe partus incolumes, non eſt receptum? An quòd is menſis redit ad Saturnum: primus enim Lunæ eſt, ut quidam Aſtrologorum volunt? An hoc falſum eſt: ad Lunam enim redit: Ideoque ſub Jove editus in decimo menſe. Naxios autem conſtat octavo menſe edi, Bacchi beneficio, qui eo menſe natus ſit? An illa aſtronomica contra omnes ſententias ſunt? Nam & nono & decimo exacto volunt. Ita ad duo infortunia devenitur Saturno nono, & Marte undecimo incœpto.

XLVII.

Utrum rectè in redhibendi cauſa ſit, qui dente aliquo carens venundatus ſit? An quòd ait Labeo non videri, quod magna pars hominum dente aliquo careat: Et quod abſurdum ſit infantem videri non ſanum qui ſine dentibus naſcatur? An hæc locutio manca eſt? Nam infantem non dicimus edentulum: neque tunc aptus natus eſt dentes habere, & propterea ſanus videri. Ex natura enim nondum habet dentes. Eum verò, quem ex ætate cum dentibus eſſe dicimus, is ſi dentibus carverit, non continuò eodem cenſeri ordine, quo infans. Privatio enim ejus rei in eo eſt, qui aptus natus eſt, habere illam rem, qua privatus eſt, & in eo tempore, in quo tempore debet habere. Scimus enim Sicinium Dentatum virum fortiſſimum, cognomen a nativitate, reportaſſe unâ cum dentibus ex utero.

XLVIII.

Quamobrem mactari ſibi vult ſuem Ceres? An quòd invulgatum eſt, ſus ſegetem perdidit, cum ſit animal natura propenſum ad eruendas ſcrobes? Aut, quia hoc habet cum aliis commune, quodque verius eſt, quòd quærentem Cererem Proſerpinam fruſtratus ſit ipſe Deam perditis & calcatis puellæ veſtigiis. An hoc eſt fabuloſum? Verius autem illud Cererem non deam fuiſſe, ſed vindicaſſe ſibi id honoris apud homines invento arandi ſeminandique modo. Idcirco ſui infenſa eſt: qui ſulci initium ab ipſa potius originem habere videtur, propter pedis ſciſſuram diangulam: unde conſimilia animalia biſulcis pedibus dicimus. Vomer quoque ὕννις à ſue deductus videtur. Ægyptiis verò incolis terræ mollioris, nullus prorſus uſus eſt aratri: Sed ubi Nilus totus in alveum ſuam ſe recepit peracta ſementi, præmittunt ſues, quorum opera deſcendat ſcilicet ſemen altius. Apud Ægyptios autem non defuerunt qui dicerent agricolationis inventorem Oſiridem, alii Manerotem dixerunt: unde cognominis cantilena ruſticis Ægyptiis peculiaris, ſicuti Mariandenis Borimus, & Adonimandus: Lytrerzas Phrygiæ populis, quem Midæ filium ajunt. Certatim autem cum meſſis fieret à remiſſione & requie operas flagris deterrebant: Et ob eam rem morbum contraxiſſe, mortemque obiiſſe dicunt. Tametſi aliorum ſententia ſit eum Herculis manibus cecidiſſe: Canebaturque idcirco nænia Midæ ſolatio Borimus autem Jo-

læ & Mariandeni frater fuit, Upii regis filius: in venatu diem obiit, vere ineunte, juvenis admodum.

XLIX.

Quamobrem unus tantùm verſus Ennii poſitus eſt ad teſtimonium Annibalis? An quia Probi autoritas per ſe ſatis erat? Tamen cum dicant in ſepulcro hoc eſſe; *Devicto Annibale, capta Carthagine, & aucto imperio*: Et plerique alii verſus adducantur, in quibus corripiatur penultima, adducendum etiam erat Varronis teſtimonium ex Hercule. *Noctu Annibalis cum fugavi exercitum Tuctanus, ſic Tuctanus Romæ invocor: Sic propter omnes, qui laborant, invocant.*

L.

Utrum, *objicies*, prima producta, an correpta dicendum; An correpta, ſicuti moris fuit Apollinari: An potius producta cum veniat ab *objicio* verbo compoſito ex præpoſitione, *ob*, & *jacio* triſyllabo? Ita *objicio* verſo *a* in *i*, quaternis ſyllabis primam producet.

LI.

Quamobrem ſi nimio cibo, nimióque ſomno utantur impuberes, hebetiores fiunt; An quòd animus in corpore confecto eſculentis ſepultus nequaquam reſpirare ad ſua officia poteſt; Corpora verò eorum minus procera fieri neſcio an probarit Theocritus, qui Herculem puerum pane Dorico, & magna carnium copia alitum dicit. Athletas item conſtat adeciſſimos ſimul fuiſſe, & corpore procero maximè.

Nam

Nam Polydamas Scotuſſeus omnium ſui temporis magnitudinem ſuperavit.

LII.

Quamobrem dictum eſt Protagoram in mercedem ingentem pecuniam à diſcipulis habuiſſe? An hoc eſt conſuetum antiquæ traditioni, quæ invulgavit cum primùm exegiſſe à diſcipulis pecuniam. Ea ſumma erat centum minæ.

LIII.

Quamobrem olim ex lauro erant coronæ triumphantibus deſtinatæ? An quòd ſemper virens eſt? & item virtus triumphantis viget, ac pollet? An hoc non ita eſt? Olea, itemque arbores aliæ perpetuò virent, nec tamen ejuſmodi muneri adhibebantur. Poſtea vero qua ratione ex auro factæ? An quia imperator erat is qui triumphabat, itemque aurum princeps in metallis? An quod Imperatoris virtutem undique avaritia, ſuperbia, ambitione, tentatam, puram in primis eſſe decebat, ideoque aurum ei delegatum? utraque enim res, & laurus & aurum igni contraria eſt: alterum enim ignis vires ſentit, voracitatem tamen non ſentit. Alterum etiam, ut inquit Plinius, ignem manifeſto crepitu deteſtatur, eſtque munita natura adverſus ignes cœleſtes? An quod aurum in minima portione maximo pretio, maximoque pondere, ſummam auctoritatem, ſummamque prudentiam indicat? An ubi pravi mores civitates invaſerunt, & habendi cupido, honori aurum duci cœptum eſt, quòd antea nullum erat? Nam & ferreorum annulorum uſus erat, & æreæ monetæ.

LIV.

L I V.

Quamobrem obſidionalis corona è gramine obſeſſi loci nativo facta erat? An oſtendit vitam ſibi ab eo ſervatam qnem morem notat Plinius? An vero ejus opera conſervatam civitatem quæ corruptum jerat? Nam quemadmodum gramen celeri copia adoleſcit: ita etiam civitas: Et ſicuti in gramine quędam concordia eſt: ita enim tenax gramen Horatianum Eodem pacto de civibus dicemus. An id moris ab iis usque temporibus ductum eſt, cum in vicis etiam ętatem rudem adhuc agerent; victorem enim aut principem paſtores gramine coronabant, eumve, cujus opera à lupis, latronibusque armenta, pecudes, villæ vindicatę erant. Id enim tenuit antiqua conſuetudo.

LV.

Quare corona civica, ex quercu & ilice facta eſt? An quod ex ea victus antiquis fuit, & communis omnium cibus? An quod quercus conſita paucis poſt annis, paucis ſibi caducis fructibus, ſocias loci paravit: unde brevi ſylvas coalitas miramur. Sic profecto eſt, eum qui alteri vitam ſervat, eum videri genuiſſe. Sed quare obſidionalis potius ex ea non fit? cum obſidio eadem cum fame ſit, neque alteri quiſpiam proſpiciat? In Mutinę enim obſidione, quendam, murem una cum vita alteri vendidiſſe immani pretio conſtat. Quercus quoque ſignificatio nihil facit ad cives. Porro prima vita ſecreta fuit: poſtea vero, commoda perſuaſerunt communicandos eſſe

dies:

dies: ita in civitatem. Prius verò in vicis coaluit multitudo. Quercus autem, quæ alteram à latere parit, optime refertur ad civis ſervatorem. Cumque omnes eæ arbores id faciant, quibus ſylva conſtare ſolet, quercus earum omnium habetur præſtantiſſima. Ad hoc, cive ſervato, niſi hoſtem interfeceris, nemo coronatur.

LVI.

Quamobrem muralis, navalis, caſtrenſis coronæ auro ſolitæ fieri? An quod in maximo periculo digniſſimum metallum meruerant? An quod videbant divitiarum prædam & merito aſſignace, cujus opera urbe, caſtris, navibus hoſtium potiti eſſent? An quod alia materia dignior non erat quàm aurum ad capiendam formam muri, navis, caſtri.

LVII.

Quamobrem myrtho ovantes coronari ſoliti? Vide de Myrtia Venere apud Plutarchum & Plinium. Quia ſine vulnere prælium, impulverem victoriam non vult eſſe, quod Græci ἀκονιτί: & Plinins citra jactum pulveris interpretatur.

LVIII.

Quamobrem filius Crœſi ad diem mutus, poſtea fari cœpit? An quia timor exoluit nodos omnes? ſic eſt profecto. Vide de Batto qui Ariſtoteles dictus eſt. Cum oraculum de voce conſuleret, ex oraculo ivit in Libiam, ubi conſpecto immani leone, ſublata voce clamavit Ita poſtea loqui cœpit.

LIX.

Quamobrem ſortes pro athletis educebantur; Vide Lucianum.

LX.

Qamobrem quod de Protagora & Enathlo dictum eſt, idem etiam refertur de Tiſia & Corace; An iidem fuere & variis nominibus dicti ſunt; Homerus quoque quam Iphianaſſam vocat Ovid, & Tragœdi Iphigeniam appellant; An quod Poëtæ ita convenerunt eosdem aliis atque aliis nominibus nuncupare; Homerus itaque quem Pandionem ajunt *Procenes* patrem, ipſe dicit Pandareum. Quæ item Euridice aliis eſt, Agnopen Hermoſianax Colophonius dixit. Et qui Remus Latinis eſt, Plutarcho Romus dicitur prima producta. Præterea quæ alii Carmenta ſeu Themis Euandri mater, idem Nicoſtratam dixit. Quæ item Mneſareta, aliis Phryne, propter pallorem fortaſſe, à colore rubetæ quæ φρύνα eſt, Alexandri autem matrem Polyenam, aliis Myrtalem, itemque Olympiadem, atque etiam Stratonicam. Herophilam ajunt Eryrhræam vatem Sybillam. Præterea Lædam, Mneſindam Oreſtem, Atreum. Multa etiam ſunt nomina, in quibus apud autores eſt varietas, non tamen eorundem ſunt, ſed diverſorum: diverſitasque non in nomine ſolum, ſed etiam in perſona. Rhea vero Sylvia & Ilia dicta eſt: & Æginomus & Euryptolemus, qui una tantum fuit dentium ſerie præditus ſolida. Quemadmodum & Pyrrhus Epirotarum rex, & Euryphyeus Cyreneus, & quidam noſtra tempeſtate,

ſtate, ad omnes ob id, ut volebat, avium voces imitandas præſtantiſſimus. Iſte igitur Æginomus, cùm tanquam monſtrum ob id expoſitus eſſet (dentibus enim congenitis natura credi par eſt:) expoſitus igitur à capella nutritus eſt: rex poſtea Cyprorum fuit. Præterea qui Iſocrati & hiſtoricis Euagoras eſt, aliis Timarchus dictus, Nicoclis pater. Et Philoxenus muſicus etiam Hypertonides dictus: Et Hecubæ pater Ciſſeus, alibi Dimas. Æſopi fabulatoris dominum non Xanthum fuiſſe, ſed Iadmonem, & multa alia.

LXI.

Quamobrem non eadem vox Jupiter & Iovis, ſicuti nunc ſtatuerunt, antiquis fuit? An quod altera compoſita eſt, altera verò ſimplex? Et Jovis rectus caſus eſt etiam in ſoluta oratione apud Grammatici interpretem. Lucius Apulejus uſus eſt, cum ait

Quem Iovis ipſe premit, quo numina terrificantur.

Apud Ennium. *Iuno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

LXII.

Quamobrem *Ve* intendit, quod notat etiam Ovidius in *Faſtis* An quod idem eſt cum particula illa Græca, quæ prima eſt ſyllaba in βȣ́παις, βȣλίμη, βȣ̀πρωτις? Porro eam diphtongū invertere in eam deſinentiam quæ Latinis, non eſſe alienam à patrio caſu primæ inflectionis. Id etiam notatum eſt Grammaticis Græcis placuiſſe,

cuiſſe, idem valere primam partem compoſitionis quæ eſt in voce *Hippomanes*.

LXIII.

Conceſſo id quod eſt Capitoni, *pluria* eſſe abſolutum, nunquid *compluries*, quod ab eo deductum videtur, quia per ſe pronuntiatur, non erit comparativum? An verò potiùs eandem vim habebit, poſituræ, quam habere videtur *potius*.

LXIV.

Utrum ſi ſuſtuleris dolorem, voluptas extinguetur? An cùm ſe habeant oppoſitè non relatione, contra id Ariſtotelem excitabimus? An quod alterum contrarium eſſe poteſt, etjamſi alterum deſideretur? Num quod adducitur ex 4. *Cœli*? id profectò. Quod vero etiam exiſtente contrario, opus etiam altero eſt, ſolvitur, cum alterum in alterum agit: veluti aqua in ignem. Quid verò inſulſius quàm dicere, niſi injuriæ eſſent ſenſus juſtitiæ eſſe poteſt? Omitto quod injuriæ eſſe poſſunt ſine juſtitia: quòd cum juſtitia ſit, injuria non ſit, neque juſtitia injuſtitiæ privatio eſt? Quis enim unquam habitum privationem dixerit? Quædam verò virtutes quæ non in actn conſiſtunt, ſicuti juſtitia conſiſtit: ſed ut temperantia.

LXV.

Nunquid colligendum eſt *putum* ab Alpheno prima producta, pronuntiari ſolitum, quod à puro deductum dixerit? An eodem modo, quo ipſe Gellius, à movendo motum, perſonando perſonam.

Nun-

LXVI.

Nunquid præpetes aves, quæ altè volant, dicemus propterea quòd inferis diſcrepent; An potius inferas dicimus, quæ minùs proſperè volant; quia præpetes idoneæ ſunt, & felices.

LXVII.

Utrum magis vanum eſt, Scipionem in deliciis habuiſſe puellam captivam de præda Carthaginienſi: An Alexandrum acceſſiſſe unà cum Hepheſtione ad captivarum greges, inter quas erat & uxor Darii & ſoror; Porro ajunt reginam projectam ad pedes Hepheſtionis, eum tanquam regem ſalutâſſe, quod eſſet forma venuſtiore & auguſtiore.

LXVIII.

Quare fuere noſtra tempeſtate, qui *affatim* media circumflexa pronuntiavere? An cum ſperabant ex Plautinis fabulis non probari correptam, non viderunt ſe illudere Ciceronis autoritati, cujus ſenarius eſt.

Tum jecore optimo farta & ſatiata affatim.

LXIX.

Cujus nomine fuit puer ille, qui Delphino geſtabatur; Vide ἔρως Nunquid Q. Claudius Quadrigarius tantum uſurpavit *defendere*, pro *arcere* & *depellere*; An etiam M. Tullius in lib. *de Senectute*, &c.

LXX.

Quem Romanorum in cauſſa de flagitiis fuiſſe, ut caveretur de ejus prænomine in poſteram familiam; An fuit M. Manlius Capitolinus,

linus, ne poſtea Manlii nomine uterentur; Unde Mathematicus *Poëta* in vetuſto Codice, non M. vocatur, ſed A, Manilius. De Ariſtotele & Hermod. à Thucydide dicuntur multa. Ita etiam veteres ſcriptores mirantur ſanctiſſimum nomen Pythicum, contaminatum in meretricula Pythionica. Vide Athenæum.

LXXI.

Quamobrem Arimaſpi unoculi dicti ſunt; An quod ita revera eſſent; An verò aliquo commento tractum eſt illud nomen: quemadmodum in oraculo dato Thebanis, eis ducem viæ futurum quendam, qui tribus oculis eſſe præditus. Tum nacti Oxylum equo unoculo vehentem duos habentem; An potius dicendum eſt, eos fuiſſe ſummos ſagittatores, qui collimarent ſignum, occluſo uno oculorum.

LXXII.

Quomodo ex fœminis mares fiunt; An membranula ad uſum naturæ perforata fœminei ſexus ſpeciem præbens, cohibet virilitatem ſopitam; poſt ubi ad ætatem ferventem deventum eſt, in ipſis nuptiis maxime naturam odore ſtimulatam erumpere, & mentitum virum oſtendere.

LXXIII.

Quamobrem illa Plinii argutia videtur non conſtare? An quia viciſſim dici poteſt? An potius proba & recepta eſt? Neque enim poteſt is dicere, qui reſpondet ei, qui fortiter fecit, *ſi placet lex, non reddo*. Nam tunc qui fortiter fecit,

cit, petit ſibi dari poſtulata; qui fortiter tunc fecit, is habuit, qui nunc fortiter facit, ei habenda eſt. Deinde ad alteram partem, *ſi non placet non reddo*. Hic reſpondet: ei onus uxor dat per verbum invidię plenum, quod eſt *reddere*. Nam ſi non placet, reddere debet: neque enim ſi lex non placet, habere potuit. Secus autem eſt ſi quis fortiter faciens puellam nubilem ſibi petat, eamq; uxorem ducat: Poſtea alius qui fortiter fecit, petit ejus uxorem, aitque, ſi placet lex, da, ſi non placet, da. Tum ille, ſi placet non do, ſi non placet, non do. Quid juris ei eſt in uxore? Et hoc de altera parte dico: nam adhuc prima anceps videtur. Neque enim ſi placet, poteſt non ei dare petenti, qui fortiter fecit.

LXXIV.

Quamobrem avarus, ab eo quod eſt *avidus*, & *æs æris*, non eſt dictus? An quòd ab uno ſolo verbo inclinatum eſt quod eſt, *aveo*, & eodem modo dictum eſt quo *amarus*? An hoc ridiculum eſt, cùm *amarus* non ſit à verbo deductum: & pręterea à verbis ejusmodi, qualia ſunt, *aveo, palleo, paveo, rubeo; avidus, pallidus, pavidus, rubidus*. Nam *rarus* per ſe eſt, non à *rareo*; neque à *clareo clarus* eſt &c.

LXXV.

Quibus rationibus confutatur Plinius falſo Democriti nomine adſcripſiſſe quę adſcripſit? An quod dicitur compoſitum à Democrito librum *de natura Comeleontis*? An hoc non ſatis eſt in confutando eo, qui legerit, ſed oportet profiteri ab ſe quoque lectum? An quòd

quòd quæ referuntur, præſtigioſa videntur & vana? Anne hoc quidem ſatis? ſed oportet oſtendere, quo pacto Democritum vana dixiſſe, fieri nequeat? Quis adeo bardus eſt, & aut non totam Plinii Hiſtoriam percurrit, non dico perlegit, ſed carptim excepit quædam diſcerpta: aut ne ea quidem vidit, ſed ab alio audivit, qui non viderit Plinium, ea omnia ſexcentis in locis ludibria habere, tanquam vana & magica? Et quamobrem Favorino credendum fuerit de Archita potiùs quàm Plinio de Democrito non credendum? Quis præterea non animadvertit ibidem Plinium non pertæſum Democriticorum veneficiorum ex ſententia omittere, quod partim de iis conſtaret? Et de ſiniſtro pede, non ex ſe, ſed ex aliis tradit. Et addit modum ſuæ fidei, cùm dicit, *Si credimus*. Si quis vero, quæ dicuntur, judicare volet, quærat 8. Capit. lib. 12.

LXXVI.

Quomodo Theſeus non poteſt ab interitu ſedere apud inferos, qui vivus ab Hercule abſtractus ſit? An poteſt; & dicimus ita factum: Aut cum ei Proſerpina perſuaſiſſet, ut prope ſe ſederet, non potuit poſtea ſurgere, ſed eum Hercules cum eum abſtraxit, ipſe reliquit natium partem in ſaxo. Hactenus habet fabula. Poſſumus igitur conjectare Theſeum defunctum, reductum ad idem ſupplicium, quod & perferendum vivo fuerat apud inferos conſtitutum.

LXXVII.

Quamobrem erravit Virgilius cum dixit, *Eruit ille Argos, &c*? An quia tempora confudit & perſonas? An hoc vanum & leve? Tempora enim ſervantur ab Hiſtorico, etiam à Poeta, cum aliquid ex ipſa temporis ſerie elici & concludi poteſt, non ex ipſis geſtis ſimpliciter. Præterea neque perſonas confudit: Cum enim ait, *Eruit ille Argos*: non intelligit de Mummio, quemadmodnm imprudenter fingit Hyginus; Corinthum enim tantum debellavit Mummius, & de ea triumphavit.

LXXVIII.

Quamobrem ajunt Democritum ſeipſum privâſſe luminibus? An quòd oculi meditaturo maximè obſtabant, objectu vario rerum; An hoc falſum eſt, neque Laberio credendum nugatori; Quo enim pacto (ea enim quæ per id tempus meditatus erat, ſcribebat) rerum naturas & experientias ſibi compertas cum literis mandaret, cera ſignabat & annulo? *A*n igitur potius dicendum, eum à vetuſtate oculos non habere, quòd aliorum more, oculis non uteretur? Ita etiam de Homero, qui velint credi non deſunt.

LXXIX.

Quamobrem mulieres cognatis oſculum ferebant; An quòd vinum eis interdictum erat; vide Athenæum. An quòd ait Plutarchus; vide in Quæſtionibus & vita Romuli.

Quam-

LXXX.

Quamobrem mulieres in adulterio deprehenſæ Condemnatur à marito, mariti verò deprehenſi à mulieribus non condemnantur; An quòd qui leges condidere, ii mares fuere non fœminæ: ita ſibi ipſis plaudere facile eſt? An quod adulteri condemnantur ab iis, à quibus deprehenduntur.

LXXXI.

Quare Herculis ſacrificiis mulieres non interſunt; An quòd Junonem maximè adverſam habuit; An hoc non ſatis eſt; Pallas enim ſemper cum eo fuit, quemadmodum apud Homerum eſt. Item ajunt in gratiam Herculis defoſſi fontes calidos emanaſſe in Phocenſium agro; ubi poſtea Thermopylæ fuerunt ad Græciæ ingreſſum. An igitur dicendum propterea quòd cauſa mortis fuit Dejanira, unde nomen quoque defluxit?

LXXXII.

Uter fuit quem veniam de conſulto peccato petentem reprehendit Cato? Aulúsne Albinus, au, ut vult Plutarchus, Poſthumius Labienus? Vide quæ ſupra de nominum varietate dicta ſunt.

LXXXIII.

Quamobrem mentitur qui fallit, qui dicit mendacium, is fallitur? An mentiri diverſum eſt à mente ire: dicere autem mendacia non id eſt, ſed dicere quod non eſt ſimpliciter?

LXXXIV.

Quamobrem obſcuræ quæſtiones dicuntur

Problemata? An quod aliis proponerentur conjectanda? eratque victori præmium, vel oſculum, vel ut alii volunt portio carnis: victo autem poculum ſalſæ potionis? An verò quia quaſi rupes cæcæ inſidiabantur aliorum ſecuritati? Ita enim Sophocles in mare rupem prodeuntem appellat: Ænigmataque ob id dicta, quòd innuerent aliud per aliud, id verbo Græco indicante. Gryphi autem à retibus piſcatoriis κύλικια à poculis, per quæ res agebatur. Mnemonia autem, non quòd homines memores, id eſt prudentes faceret: prudentia enim præteritorum, memoria futura conjectat; Sed propterea quod Theodectes clarus in his fuit, Mnemoniuſque cognomento dictus eſt, ab eo Mnemonia. Cleobulina, Cleobuli filia, præſtitit in Ænigmatibus; ejus Gryphus eſt εἷς δὲ πατὴρ, παῖδες δὲ δυώδεκα. Vide Suidam & Athenæum.

LXXXV.

In Grypho Termini quomodo poterat neſcire: ſemel, an bis minus eſſe, quod etiam pueri non neſciunt: An quod in nominibus jocatur, de numero literarum? Semel enim plura elementa continet quàm bis. An eſt luſus Comicus, ex communi locutione, ut cum dicimus quaſi minus curantes quod dicamus, neſcio Imperator utrum major ſit, an miles. Scio hoc unum me milite egere imperatorem. An acutius dicendum ſit, neſcio utrum minus ſit, ſemel minus, an bis minus. Et profecto eſt anceps: uam ſemel eſt minus quàm bis: ſed tamen bis minus eſt minus quàm

quàm ſemel minus: ut in numero ſenario ſemel minus rediget ad quinarium, bis minus ad quaternarium.

LXXXVI.

Quamobrem à Luciano irridetur Peregrinus? Et meritò: Ita Gellius ludibrio erit, qui eum gravem & conſtantem eſſe ait; An ſic tam potius Luciani Hiſtoriam dicemus.

LXXXVII.

Unde dictum eſt *ſaltem*; An quaſi ſi aliter. An quaſi ſalutem petentes eo utimur vocabulo, inde ductum videbitur.

LXXXVIII.

Quemadmodum ivoleverat opinio in animo Philoſopho Alexandri de Jove patre. An teterrima bellua eſt adulatio. Porrò conſtat ſimulaſſe linguæ impedimentum ſtudioſe Hammonis ſacerdotem. Is enim Alexandrum advenientem his verbis excepit χαῖρε παῖ Διὸς cùm παιδίον dictum voluiſſet.

LXXXIX.

Quamobrem Theophraſtum potius, quàm Menedemum ſucceſſorem maluit Ariſtoteles. An quòd Theophraſtus fuerat in delitiis Ariſtoteli. An credimus extrema profectione Ariſtotelem noluiſſe gratiam privatam indicio proferri, & ita dicimus Theophraſtum jure ſucceſſiſſe. Ad eum poſtea non omnis multitudo, ſed major defluxit: unde Menedemum dictitare ſolitum ferunt: θεοφράστου μὲν χορὸς μείζων ἐμὸς δὲ συμφωνότερος.

XC.

Quamobrem Hyadas, Suculas Latini antiqui dixere? An à ſucco, ut non inepte quidam dici volunt; quòd in eorum ortu, occaſuque uberes imbres trahant. Itaque vernæ tempeſtati ſuccum dant autumnoque item? An à Suibus, quòd credebant ita dictas Græcis. Hoc verò, ſi verè dici poteſt, eos per ignorantiam Græcarum literarum feciſſe conſtat: quemadmodum dicemus fuiſſe eos arbitratos Græcis ὗας ſues eſſe. An verò dicemus per vocis ſimilitudinem, ſicuti, ſypmnus, ſupinus, id quod nemo quidem negat. An hoc ridiculum eſt putare, quo pacto ex voce Hyadas, Suculas faciamus. Nam licet conſonantes mediæ in utraque voce affines ſint, ὀδυσσεὺς Uliſſes; tamen accedit adhuc immutatio, Additio eſt omne incommodum. Nam ὕφπον, & poſtea ὕπιον dicere ſupinum, id perfacile fit, & ὕπνος ſomnus. Præterea quemadmodum verbum quod eſt pluere, ſicuti non dixerant hac ratione, ita neque Hyadas: Et cum dicemus vertiſſe ſupinum & ſomnum, id patriæ linguæ egeſtate coactos fuiſſe dicemus. Quare autem ſi Græcas literas callebant, & à pluvia dictas eſſe ſciebant, non eas pluvias dixere. *Pro* Tyrone item eſt quòd antiqui βραχὲα brevia dixere, nullo adhibito diſcrimine. Rati idem eſſe cum ea voce, quæ eſt βραχεὰ, καρὀξυτόνως *In brevia & Syrtes urget, miſerabile viſu.* Contra autem Tyronem ſunt commenta Græca, Hyadas dictas, quòd Bacchum qui ὕης dicitur, aluerunt: Euphorionis enim verſus eſt,

Quos-

Υἧ ταυροκέρῳ Διονυσίῳ κρατέσαν.

Quosque tandem Tyronem virum propter patroni ſui amorem doctiſſimum cavillatur Gellius? In fronte autem Tauri ſunt Hyades: eas dicit in capite eſſe, ſed ex eis caput Tauri conſignari. Germanicus in Arato,

Fronte micant Hyades, &c.

Vide Aratum.

XCI.

Quamobrem ſoror dicta eſt? An quòd quaſi ſeorſum à domo nascatur? An videtur ſoror quaſi adſcititia ſarcina, & non augere familiam? Nam ſororiari antiquis fuit turgere: ita quaſi familiæ tuber eſt.

XCII.

Utrum frater dictus ſit quaſi ferè alter? An more Græcorum eſt? Phtatriis enim Athenienſibus, quas primas Danaus fertur inſtituiſſe, deduci poteſt? Nam cùm aquarum penuria, de longinquis fontibus uſus ſuppeteret, primus Danaus inſtituit puteos ſeu ciſternas, ad ſingulos puteos ubi convictus, & conventus deſtinabantur, & à putei vocabulo φρέατρες.

XCIII.

Quamobrem bellaria Latinis dicta ſunt quæ Græcis τραγήματα? An quod per ea convivium abſolvitur, & quaſi bellè factum ſit, in quo bellaria ſint? An quod ut in bellis apta arma, bellaria dicuntur per tranſlationem: hæc etiam in cibis, quod ad convivium maximè faciant.

XCIV.

Quamobrem *ſtudium* humanitatem dixerunt? An quòd uni animalium homini datum? An verò quod homo cæteris præſtet, qui ſtudiorum expertes ſint, & quaſi magis obtinere humanitatem, id eſt hominis qualitatem videatur? Nam ſi quis doctus eſt, is humanus eſt, qui rudis erit, videbitur ab eo apice diſtare, licet ejus natura æquè poſſit. An dicemus humanitatem dictam ſtudia, quòd humaniores homines efficiunt: ferini enim mores leniuntur, & reguntur inſtitutione bona, exemplis, rationibus, præceptis.

XCV.

Quamobrem σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν ξυνουσίᾳ An quod Tyranni ſecum habuere ſapientiſſimos? Dionyſius Major Platonem, Ariſtippum: Archelaus Euripidem: Minor item Dionyſius ajebat, apud ſe non habere animi aut admirationis cauſa ſapientes, ſed quo ipſe aliis admirationi eſſet. Item cum Scipione fuit Panætius: Cum Nerone Seneca: cum Antonino, plerique.

XCVI.

Verſus illos nunquid minor Poëtarum ſibi ſurripuit? An magis concurrere ingenia, ſicuti nolunt in eo.

Cum cecidit fato conſul uterque pari.

Eſt noſtra tempeſtate vir omni numero Latino abhorrens, & plane alienus, cùm muneri mitteret amico quædam, inſcripſit,

Extra fortunam eſt, quidquid donatur amicis.

Et

Et cùm ei relatum eſſet verſum hunc eſſe Martialis, & benè ſe habere, illudi ſe homo ratus parum abfuit ab ira. Idem cum calleret linguam Hetruſcam, eodem initio in Epigrammate uſus eſt quo alter quidam, cui rei ego interfui prolatis utrinque illicò codicillis. Æſchylus θ Olympo. κϛ. annorum erat, obiit anno ætatis ιη. Sophocles ογ. Olymp. notus, ſexto poſt Euripidem anno obiit: Euripides vero obiit ϛ. Olympiade vixit annos οε laceratus à canibus: Sophocles vuæ acino; Æſchylus ictu lapidis ſubdio.

XCVII.

Gellius disquirit an rectè dicatur *in medium ponere*. At hic motus eſt, ſicut *in rem meam*. Græci tamen puriſſimè ſunt locuti, ἔσω pro ἐντὸς poſuere. Ariſtoteles fere ſemper & tam Xenophon, quam Thucydides ἐκεῖσε pro ἐκεῖ in Hermocratis concione: cum tamen ſemper ad locum ſit illa idea vocum εἴκοντε, ὀλύμποντε: ſicut οἰκόθεν, οὐρανόθεν ὁμόθι ὁμόθεν.

XCVIII.

Quamobrem proverbium illud dicitur, *multa cadunt intra calicem*. An quod vere poſſunt multa evenire ſicuti in convivio Horatiano, itemque in Lapithis Luciani? An magis placet commentum illud Græcum, ex Feſto.

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.

XCIX.

Quamobrem Valerium quis vocans, cum olim acueret primam, poſtea in ſecunda voculationem poſuit? An quia cum animadver-

 teret

teret olim caſum cum fuiſſe quatuor ſyllabis; & aliàs recto ſimilem, aliàs ea deſinentia quæ apud Græcos eſt? Si Græcè ea nomina dicuntur ubi ablata ſyllaba, & accentum quoque ibidem eſſe voluerunt. Nam refert cum caſum inclines ab alio, & aut eundem caſum amputes. Nam dico *ſupellex* media cum tono: dicam *ſupellectilis* tertiâ. Antiqui item quia patrium caſum *valerii* amputaverunt, ſeu ex geminata vocali unam ſyllabam fecerunt, accentus qui in antepenultima erat remanſit: Item cauſſa fuit cum in vocando primam acuerent, ut eſſet differentia. Qui verò eas literas excepit uſus, patrium caſum genitivum ſyllabis eum protulit, & vocativum amputavit, non habuit quam faceret differentiam. Et ut in vocandi caſu ſervavere accentum ratione quam diximus, quam etiam ſervamus in dictionibus ejusmodi: quales ſunt *noſtras, primas, veſtras, ſummas, Arpinas*. Ita enim dicimus latina nomina integra, in quibus nulla advenerit affectio, non recipere accentum in ultima, præter pauca in quibus ab aliis *diſcretum* eſt, &c. *Noſtras* vero quia erat *noſtratis*, & *Arpinas*, quia erat *Arpinatis*, non ſunt integra, & acceſſit affectio: mutata enim ſunt à poſitione primas. Idcirco poteſt ignoſci uſui ex ipſa arte. Adhæc cum dicitur non bene dici in 3. Æn. *fumat* ultima circumflexa: primum dico eadem lege ſolui qua ſuperiora, ſi pro præterito ponatur. Deinde mea ſententia eſt, hoc tempus præſens eſſe, neque pro præterito poni, ſed ſimpliciter ſtare. Porro enim cum

Tro-

Trojam cecidiſſe dicit, ut hujus incendii magnitudinem explicaret, jugi tempore uſus eſt, *fumat*, inquit, non *fumavit*: frigidus enim ſenſus eſſet. Ubi vero dico eadem tempora connectenda eſſe, intelligo de eadem ſignificatione: ita cum dico, *incendit urbem, & patriam opreſſit, & cives necavit.* Item dico: *poſt quam vita functus eſt, & fletus is, cujus res omnis legata erat univerſam domum exinanivit.*

C.

Quamobrem patrium caſum, interrogandi caſum dicit? An eadem ratione, qua genitivum appellamus & poſſeſſivum. Cum enim major pars relationis fiat per hunc caſum, dicimus eum patris filium, & filii patrem: & relatio poſſeſſionem dicit, optimè poſſeſſivum diximus: & à relatione vulgata denominavimus patrium, cujus expoſitio eſt genitivum dicere. Eadem ratione, qua omnis relatio abſolui poteſt per interrogationem, interrogando dictus, cum dicimus cujus eſt pater, filii, & contra. Nam falſum eſt dictum interrogandi, quia per eum caſum interrogamus? *quis venit? quem vides? cui das?* non ſunt genitivi.

CI.

Quid intelligit per ſummum tonum? An προσῳδίαν acutam ut vult Gellius? An προσῳδίαν quę in prima ſyllaba, quæ ſumma eſt? Cum enim dixiſſet ſuperiore tono, quam prima ſummo poſtea tono dixit. Ridiculum enim eſt intelligere ſummum tonum id eſt acutum. Nam cum dicit ſuperiore quam prima, etiam acutum intelligit. Præterea cum ęquè poſtrema

ſyllaba ſumma ſit, & ea circumflexum ſuſcipiat, ut aliæ, ſumma voculatio erit: & tamen non erit acuta. Amplius ſi eadem συνέπεια in voce *ergo*, ut eſt in Epiſtola antiqua ad Pyrrhum, & in verſu Virgiliano, non erit acuta, ſed gravis. Ad hæc omnes fere conjunctiones, niſi quæ inclinantur, in συνεπεία gravi accentu proferuntur.

CII.

Quare rectus nominativus dictus eſt? An quòd cum aliquem ſignamus dicimus *hic eſt Cato, Cæſar*? An hoc falſum eſt? Poſſumus enim dicere *huic eſt nomen Catoni, hunc ajo Catonem eſſe*. Dicendum igitur appellatum propterea quod in recto verè nomina, ſicut vult Ariſtoteles, ideoque caſus appellati ſunt quia rectè cadunt, non à mente ut voluere Stoici. Rectus enim hoc modo caſus eſſet, quod Peripatetici norunt.

CIII.

Quamobrem in interrogandi caſu pronominis quod eſt *ego* per unum *i*, finis eſt? An quòd Græcis ȣ Latinis eſt *i*: ſicuti Αλεξάνδρȣ *Alexandri*.

CIV.

Quamobrem in dandi caſu per *ei* ſcribimus *mei*? An quia affinitas quædam eſt *ei* latinis & *oi* Græcis: Sicuti dicimus ὕπνοι *ſomnei*.

CV.

Quamòbrem nullo adhibito judicio verborum Favorini tubicen fuit? An quòd, ut ſuprà oſtendimus, hujus errata alia retulit: & in pleriſque

riſque cum eo de Chaldæis, ubi refert, ridiculus eſt, ut oſtendetur.

CVI.

Quamobrem *au*, & *eu* ita pronuntiant nunc eruditiores, ut eſſet apud Græcos? An quod rectè poſſumus conjectare vel ex Tullii verbis qui *aufugio, abſugio* dictum vult.

CVII.

An omnes immanes filii Neptuni habiti ſunt, juſti autem Jovis? An & immanes fuerunt non Neptuni, & juſti non Jovis: item non juſti, & Neptuni non immanes? Nam Theſeus Neptuni filius fuit. Quære de melioribus Buſiride, Anteo, &c.

CVIII.

Quænam erat ea figura Talyſi? An erat Bacchus, ut vult Suidas.

CIX.

Quamobrem Virgilius erravit? An quod utrumque ſimul dixit quod Pindarus. Surſum dixerat Ætnam fumare, ſcilicet flammam emittere. An hoc objicere frigidum eſt? Sed Virgilius id quod eſt voluit dicere magis, quàm id quod videbatur. An verò Ætna non etiam die voluit flammam unà cum fumo. Virgilius qui neque de die, neque de nocte dicit, ſed rei naturam ſignat ſimpliciter, non immiſcuit quę ſemel poſuit. Neque vero Pindarus erravit, ſed obſequutus eſt uſui & apparentiæ, cum diem noctémque poſuit ἡμέρον. Et profecto Virgilius quantum abeſt ab impudicis illis metaphoris, tanto eſt minus Pindaro inſolentior. Neque argues, ut ille voluit, exire è ſuo Ætna,

neque fontes aut flumina, neque deſcendere ad mare, ſed quia *prorumpere* dixit, eduxit uſque ad cœlum immiſtis Candentibus favillis, ipſo fumo ardua cœli cingente. An vero cum dixit, eum ſydera lambere, impurius dictum videtur, quam ubi dicitur eum devolui in pontum? Et profecto aliud eſt Grammaticum eſſe, & ineptum otioſumque interpretem, aliud item hauſiſſe aliquem divinos illos furores. Nam quemadmodū inepte reprehendit, quod dicit, atrum eſſe candente favilla, quemadmodum *totsque Autumni incanduit æſtu*: Jam impudentiſſime mentitur: non aliter à Pindarò per mythum dictum: quid enim eſt σωὶπαζαγα & ſane in montis visceribus dictum intelligi debet. Poſtea vero non etiam ſub auras glomerari, quia neſcit eum qui reprehendit, expertem promulgatæ etiam eruditionis: cum ſciamus nebula Ætnam ſemper tegi. Poſtea cum negat ſcopulos eructare, quæ nos fere vidimus, ſaxa immania? Sed enim quia ignorabat quemadmodum *liquefactum* acciperetur, negavit pumices non eſſe liquefactos: quaſi vero pumices non ſint abhorrentes à ſaxi natura cum fluitant, ut in Grypho eſt, de quo vide Athenæum. Fumum intelligit ferventem, non ex ſe, ſed ex favillis. An modeſta ea metaphora? vulgarem habet ſignificationem, cùm metaphoræ maximè ab omni uſu recedant? An ſi verbo uſitato uſus eſſet, id vitio ei, quam laudi verſum malemus? Eſt vero quædam ſui expoſitio, illud *favilla,* quemadmodum ſcilicet fumus ille candens eſſet mare: quem-

quemadmodum aliter αἴθωπα interpretabitur Eunuchus iſte? Et Pindarus fallitur, puriſſimos ignes evomi dicens: ſed cum igne cineres ſimul eructat, educi in altum & optimè oſtendere, quod dixit *prorumpit ad æthera nubem*. Ea ſententia aſtipulatur quæ negat potuiſſe dejici Empedoclem in profundum, neque id pati poſſe impetum, ſed cauſam evocare. Detruſit ſcilicet impudens viri temeritas pro divino viro dicentem me à meis inſtitutis adverſus Pindarum, quem unum omnium Poëtarum, ſimulatque iterum mea manu deſcripſi, memoriæ commendavi, dedi operam, per quam familiaris mihi foret.

CX.

Quamobrem *famoſus*, *viroſus*, *moroſus*, probrum dicunt? *formoſus*, *officioſus*, *ingenioſus* non? An ratio naturalis eſt quæ dictat cum hæc deſinentia inmoralem dicant primigeniæ voces, iis formatio bonam ſignificationem facit: uti *ingenium*, *officium*, *forma*, quæ verò mala ut nimiis moribus eſſe: nimio cerebro *cerebroſus*, Lucilio vitium fuit: *famoſus* verò, quia media verba perſe inclinant in deterius; nam famæ medium eſt ſicut venenum. *Religioſus* verò laudi ducit Saluſtius: *cognoſcere templa deorum, quæ religioſiſſimi mortales fecere*. *Glorioſus* item apud Ciceronem.

CXI.

Quamobrem Priſcianus dixit, eam literam quæ extrema eſt hujus vocis ἰάλμενος abjici?

An

An quod ſequitur aſpiratio, cujus loco Æoles exponebant digamma? atque ita ſyllaba quæ excipiebatur, longa erat, quemadmodum eſt apud eundem Homerum frequentiſſimè. Hoc verò falſum eſt: quia Homero, cum pronunciat eundem verſum in caſu accuſandi, ſic eſſet abjiciendum extremum elementum hujus vocis quæ eſt. ἰάλμενον.

FINIS.

ALIA PROBLEMATA EX JUL. CÆS. SCALIGERI Libris familiarum exercitationum.

I.

QUamobrem antiqui eos qui non erant à convivii principe invitati, ſed ab aliquo convocatorum perducti, umbras vocabant? An quòd umbra hominum, non homines dicendi ſunt qui affectant ignotorum dapes: Unde data eſt materia Plauto jocandi in nomen paraſiti. Cyrenæi quoque culpandi maxime, qui eo vitio laborarint: Et propterea Homerus ſolum fratrem invocatum ex officio Agamemnoni adeſſe facit. An hoc acutiùs quam veriùs dictum eſt, & propterea dicendum eſt metaphorice dictos eſſe, quia ſicut umbra ſine corpore non eſt, ſed ſemper corpus comitatur: Ita etiam illi cum convocatis augent numerum convivarum; quòd ſi illi, quorum opera aluntur deſint, nihil ſint, propterea Philippus ſcurra dicebat magis ridiculos non vocantes eſſe, quàm qui vocati eſſent.

II.

Quamobrem calumniatores, delatoresque veteres Athenienſes Sycophantas appellarunt? An quòd juventus Attica in alienos hortos irrumpere conſueverit, atque ita ficus diripere? unde cautum eſt adverſus eandem licen-

licentiam pœna capitis. Eos igitur qui irrumpentium juvenum nomen detuliſſent, quod de re futili diſcriminoſum judicium exortum eſſet, ſycophantas appellarunt. Vel à monſtratis furibus: vel quod prava natura ob rem viliſſimam patefacerent, quæ eatenus obvoluta fuerant & abdita: Sicuti de vino dictum eſt, non facere homines malos, ſed eos qui mali ſunt patefacere. *Prior* expoſitio verior fortaſſe ἀναλογικῶς τῷ ἀργειφόντῃ, ſic enim Mercurius vocatus eſt quòd omnia aperta redderet. An quod cum ab Athenienſibus edictum eſſet ne aliunde ficus in urbem importarentur, quod apud eos cæterarum omnium ficus præſtantiſſimæ eſſent: contra edictum qui feciſſent, deferebantur, qui deferebant ſycophantæ appellabantur? An quòd Athenis cum ficus in pretio eſſent, qui ejusmodi furti ageretur, convictus condemnaretur. An verò falſum eſt eos ab edēdis ficubus dictos. Sed alia ſignificatio invecta ex alia appellatione, qua appellabantur συκοβίοι qui victum ex eo pararent: propterea & dicti συκολόγοι qui verba de ficis facerens, συκίδεις ficoſi, συκόπαιδες qui puerorum ritu ficis delectantur, φιλόσυκοι quorum ſtudium circa ficus eſſet. Nam quod συκωροὶ dicti ſunt, id alludit ad antiquorum traditionem, quæ ſacras ficus Athenis adhibitis cuſtodiis aſſervari conſtituerat, ii cuſtodes qui συκωροὶ dicebantur à cura ficuum, ubi furti agere, cum iis qui ficus ſuſtuliſſent, cœpere, συκοφάνται appellati ſunt. An hæc opinio ſanior, quæ dicit olim tributa & mulctas fuiſſe ex vino oleo & ficis, ob eam

rem,

rem, quorum opera, quisnam mulctabatur, ſyrophantæ dici cœpti. An potiùs verum eſt cautum lege Athenienſium fuiſſe, ne quis apportaret caricas (id genus eſt ficus ſuaviſſimum) quò ſcilicet major copia fieret civibus: deprehenſos contra leges qui accuſabant ſycophantæ dicti. Hæc ex antiquiſſimis auctoribus Iſtro, Philomneſto, Didymo. Suidas addit cauſam fuiſſe famem, quo interdicerent aſportari ficus. Eſt locus Athenis Hieraſyce, ubi primum ficus inventa.

III.

Quamobrem *quæritat* apud Donatum in *Andria* minus eſt quam *quærit*. *Quærit*, inquit, *qui plane aſſequitur, quæritat qui vix quotidie inquirendo victum aſſequitur*? An eſt ſicut *dormitare*, quæritat enim qui repetita quærit, ſic & dormitat. Nam qui reperit non potitur.

IV.

Quamobrem Horatius dixit de inventore Elegorum certari? An quod ipſe neſciverit? protuliſſet enim ſicuti de Jambis fecit. Archilochi enim inventum eſſe trimetri Jambici apud Plutarchum eſt. An quia, mihi quidem nefas eſt credere adverſus ſummi viri dignitatem, dicemus fuiſſe quidem compertum ipſi, ſed nunc temporis fuiſſe, qui alios afferrent elegiaci carminis autores: rejeciſſe igitur litem judiciumque in Grammaticos non ſine ſumma eruditione. Propterea quòd Grammatici olim Critici appellati ſunt: quorum judicio reſtituebantur ſuis authoribus opera, & falsò aſcripta

ſub-

ſubmovebantur: unde etiam Ariſtarchie dicti ab Ariſtarcho Critico, qui in nothos Homeri verſus acerrimam exercuit cenſuram.

V.

Quamobrem fœmineus ſexus maximè obvius eſt calumniis? An quòd, cum hominem multarum rerum ſæpe numero ſatietas capiat, in amore maximè eſt mutabilis? Quia coitus ex iis actibus eſt, qui finem in operationibus habent: Nihil enim reſtat ex eo quod factum eſt. Porro natura cum geſtiat loca illa ubi primùm nacta id eſt quod intenderat, languet atque exſtincta eſt. An eſt quòd homo ex ſe alia metitur, imperfectioremque ob id odit ſexum? An & ipſe imperfectus eſt, ſed judex ſuus eſt, ſuamque cauſſam agit? An id nequaquam falſum eſt, multas calamitates eſſe inflictas mulierum cauſſa.

VI.

Quamobrem dictum eſt tauro Europam transvectam? An fabuloſum eſt Jovem potuiſſe aliena induere membra citra ſui corruptionem, cùm rex fuerit Cretæ mortalis, ut ex ejus ſepulchro patet? Quod cum oſtendant Cretenſes, ut ait Lucianus, ignorant ſibi illud convenire in Ægyptios de Oſiride, *ſi deum putant, cur lugent? Si hominem, cur divinis honoribus proſequuntur.* Ita Cretenſes ſi deum putant, cur ſepulchrum oſtendunt? ſi hominem, cur pro deo habent? Dicemuſne igitur ſicuti Virgilio Priſtis, Centaurus, Scylla, Chimæra: Itaque Jovi in Phrygia aquila: Sunt enim quæ-

dam

dam navigia, quæ arietes hircique dicuntur: & Perſius.

Navi impoſitum Meduſæ caput.

VII.

Quomodo dictus eſt Lucilius ſtilum naſi condidiſſe? An quòd Satyram condidit adverſus ſui temporis vitia? unde dicimus *hominem naris emunctæ, & quempiam naſo ſuſpendere, & naſum Rhinocerotis habere, & Ronchum hominum.* Propterea apud Græcos μυκτηρίσειν *ſubſannare* ſignificat μυκτὴρ autem naſum ſonat.

VIII.

Cujus inventum eſt catapulta? An Macedonum, ut nonnulli voluerunt. An vero Siculorum, ut aliorum eſt ſententia? Unde quidam Lacedæmon viſo telo miſſilicata pultico, *o Iupiter* exclamavit, *virtus hominum perit.*

IX.

Quamobrem Cratinus Periclem vocavit ἐχινοκέφαλον? An quòd Pericles erat eruditiſſimus: Echini enim prudentia vel in proverbium venit? An quòd magis conſentaneum eſt, propterea quod erat præacuto occipitio præditus Pericles. Unde ejus ſtatuæ videbantur galea tectæ, ne deformitas capitis majeſtati quippiam derogaret.

X.

Quamobrem nonnulli Thebanos primos hominum eſſe voluerunt? An quod Seminis orti dicti ſunt? Cum tamen vel hac ratione, auctores Seminii, eos præceſſiſſe fatendum ſit. Num igitur fuere Athenienſes, qui propterea

no-

nobiliſſimum quemque αὐτόχθονα id eſt terræ ſatu ortum appellant. Nam Erichthem gentis autorem, Terræ Vulcanique filium eſſe voluerunt. An verò fuerunt Ægyptii, qui ut ante omnes literas, quod patet ex Hierogliphicis, ita etiam ante omnes voces eſſe voluerunt? An hoc falſum eſt. Idcirco quia inſidioſæ cum apud alios eſſent litteræ, excogitarunt involucra, quibus ſacra profanis eſſent incognita? Ideoque dicendum eſt Arcadas fuiſſe, quos προσελήνους, quaſi prælunios appellatos tradunt, qui ante lunam fuerunt & βαλάνῃ φάγους ſoli repor tarunt, id eſt glandibus veſcentes, ob vetuſtatē ſcilicet, ante tritici inventum. An hoc etiam cum multis commune habent? Dryopes enim nullam æquè arborem venerantur atque quercum, quod primo ea victum mortalibus præbuerit. Præterea ſatis çonſtat Dodonæos jactare ſuas glandes, propter ſylvam illam percelebrem, Athenienſes ferebant cicadam auream capite, indicium Erichthei, terra orti, quod id animal terra naſcatur. An Britannorum interior pars quæ fertur in inſula nata? Cæſar *Commentariorum* 5. An Ægyptios dicam propter Nili feracitatem, Diodorus 1. vel Ætiopas propter colorem, Diodorus 4. An Ichthiophagorum genus, quod in præruptis habitat, quia eò nequaquam aditus ſit.

XI.

Quamobrem Servius dixit ſeptimum caſum cum præpoſitionis nota poni, quando inſtrumentum ſignificat? Quod Priſcianus aliquo modo voluiſſe videtur, cum dicit. *Deſunt verò*

inter-

interdum præpoſitiones his magnum Alcidem contra ſtetit. An quod ex arte locutus eſt; & ex antiquis aliquos habebat quos adductus, qui noſtro favore ſunt intercepti? Non adduxit enim in re manifeſta & incontroverſa teſtes non neceſſarios: & nos adducemus Ovid. 4. *Faſt.* adverſus calumniatores.

Hæc modo verrebat cum raro pectine pratum.

XII.

Quamobrem ſponſus ſponſam recens & primo viſam donis proſequebatur: quæ idcirco, quia tum primùm eam vidiſſet, ὀπτήρια dicebantur? An hoc erat indicium auſpicatiſſimæ amicitiæ & venuſtiſſimæ? An Lepti urbe in primis nuptiarum auſpiciis, nurus ad ſocrum mittebat ſervulam, orans ut ſibi fieret copia cujuſpiam olei: Servula autem vacuis manibus reportabat nihil, præter odii auſpicia, quod interceſſurum erat inter utramque. Ὀπτήρια Callimachus dona delegat etiam eorum beneficio, qui primum viſo infanti bona precari ſolent. Præterea dona illa διαπαρθένια ab Agia Comico dicta ſunt: dicta etiam ἀνακαλυπτήρια dona ſcilicet quę ſponſæ primùm delectæ dabantur: Unde Siciliã Proſerpinæ Jupiter dedit εἰς ἀνακαλυπτήρια, cum fratri nupſiſſet. Præterea dicta προσφθεγκτήρια quaſi allocutoria: ſive quòd nunc primùm facta ſit copia col loquendi: ſive quod eſſet fortunę benevolentiæ nota, quæ blanditiis maximè comparatur: unde ὀαρίζειν proprium conjugum eſſe voluerunt. Dicebantur etiam προτέλεια, quemadmodum ſacra quæ ante nuptias fiebant: γάμος

enim

enim conjugium dicebatur. Item προαύλια, ſicuti ea quæ pro ſtadio diei nuptialis ἐπαύλεια licet alii diem tantùm ſignari voluerint. Dona autem illa dabantur ſponſo, puer præcedebat candidam indutus veſtem, facem tenens: Secundùm hunc erat qui caniſtrum ferebat: cætera turba reliqua, ſupellex, onus erat & ſarcina. Alii non ἐπαύλεια ſed ἐπαύλια dixerunt, in qua ſponſus εἰς τὸ πενθέρου ἀπὸ τῆς νύμφης ἀπαλίσκεται Alii non ſponſo, ſed ſponſæ data munera volunt intelligi. Toga autem quæ à ſponſa ſponſo mittebatur, ἐπαυλιστήρια dicebatur: Ferebantur faculæ, quæ nuptiales dicebantur. Corona præterea & lavacra quædam: ferens autem mulier, lavacrifera vocabatur. Sumebatur autem aqua illa undecunque, præterquam Athenis, ubi nefas erat aliunde, quàm à fonte Calirrhoë ſumere. Erat etiam quoddam lectuli genus peculiare, quod παράβυστος dicebatur, quod poſſumus interpretari, vel *receſſum* vel *abſconditum*: ut ne ſcilicet obſtaret pudor ſanctiſſimis auſpiciis.

XIII.

Quamobrem in nuptiis nuces ſpargebantur? An ut invulgatum eſt, ut fieret ſtrepitus, quo ſponſæ clamor obrueretur: Unde etiam Janitor ad fores erat, qui prohiberet mulieres ſuppetias clamanti euntes: & θυρωρὸς dicebatur.

XIV.

Quamobrem antiqui venatores albis veſtibus induti prodibant? An quòd colore intectæ

ctæ veſtes à longè reſultant fulgore: feræ igitur ſaluti ſuæ conſulunt, ubi ſectatorem ſentiunt. An hoc falſum eſt: virides enim potius induendæ erant, ut ſylvam mentirentur. Dicendum igitur colorem hunc extorquere ſolitum iram feris: propterea quod rariora ſemina in eo inſint. Nam agreſtes tauros accendi purpura vulgo jactatum eſt. Superinduebant autem alteram veſtem: nam interior tunicula erat modicella; Ea ſi uſque ad poplites demictebatur, ſatis erat. Superiorem autem veſtem ſiniſtræ advoluebant in opugnandis feris.

XV.

Quare captivi ſub corona venundari dicebantur? An quia coronabantur; & id erat indicium fortaſſe datæ herbæ? Herbam enim dantes ſeipſos victos fatebantur, ſeu regione illa cedentes, ſeu victores declarando herbæ munere, ſeu vitam agnoſcentes ab ipſis; vitæ enim communis herba fuit olim. Erâtne igitur datæ herbæ indicium? Et huic ſententiæ Cato aſtipulatur. An verò ſub ſigno coronæ venibant, ſicuti ſub haſta? An ſub corona, in corona, & coronæ arbitratu; Coronam enim ementium intelligo. A. Græcis quoque κύκλοι dicuntur, in quibus res veneunt & mancipia. Nam pro menſa ſolum accipiendum; nec enim mancipia in menſa venduntur, ſed pro choro licitantium; ſicut etiam noſtra tempeſtate fit. An hoc falſum eſt; ſervi enim aſcendebant editiorem locum; & is locus πράτηρα dicebatur, quemadmodum apud Ariſtophanem eſt.

Quam-

XVI.

Quamobrem Cicero Latinos melius quàm Græcos dixiſſe ait *convivia*, quàm συμπόσια: cum tantum συμπόσια Grȩcis ſit convivium? An fugit eum cum ſcriberet id? An hoc eſt profanum & abominabile: & ideo dicendum eſt ipſum vitio vertere Philoſophis, qui συμπόσια non autem συνδεῖπνα convivia. Quare damnat eos negligentiæ, non inopiæ.

XVII.

Quamobrem Calliſtus prodidit uterus? Conſtat enim Emponem famoſiſſimam mulierem ſub Veſpaſiano prægnantem latuiſſe omnes mulieres, cum inter eas lavaret. Gravidam enim fecerat Sabinus maritus clam omnibus, cum deliteſceret in ſubterraneis theſauris propter Veſpaſiani metum. Ajunt enim Sabinum & Julium cum conſpiraſſent in res novas, pœnasque daturi eſſent, cæteri cum ipſi ipſis manus injeciſſent, Sabinus ſubmovit omnes ſervos cauſatus mortem ex veneno neceſſariam, præterquam duos conſcios theſauro. Eos autem habuit ſocios ſubterraneæ habitationis: interim ſignificat, fidem mulieris probatutus, per ſervam de ſua morte. Ubi igitur hæc audivit mulier, tres dies, totidemque noctes ſine ullo Cereris deſiderio in luctu lacrymisque perſtitit: jam fidem faciens ſui amoris ſuique deſiderii. Sollicitus ubi hæc audivit Sabinus de amantiſſima conjuge, per Martullium libertum, conſilium ſuum declarat mulieri, jubetque bono animo ſit, abſiſtatque à luctu pro eo viro vivo, quem antea pro mortuo luxerat. Ex-

citata

citata igitur mulier, viſit maritum, ſeptem integros menſes cum eo peragens, poſt quod tempus ipſum diverſo mentita ornatu Romam perduxit, reverſaque eſt reliquumque ætatis cum eo fuit, dum eam ſuſtulit Veſpaſianus, magna deinde pœnitentia, ſed jam matrem factam gemellorum quorum alter in Ægypto obiit, alter fratri ſupervixit Sabinus nomine. Ipſa igitur gravida, quemadmodum cum communibus mulieribus conjunctioribus lavacris uteretur, latuit: An quia ex ſubterranea illa habitatione injecerant ſeſe quædam humidæ exhalationes, unde tumor conſecutus erat; reddens quandam reliquorum membrorum proportionem ad uterum? An quòd unguento illo, quo crines muliebres flavi redduntur, cum ſit natura pingue & maxime corpus augeat, uſa eſt ad ejusmodi finem quem diximus.

XVIII.

Quamobrem peltas lunatas appellavit Virgilius? An, ut tradidere quidam, quòd primæ Lunæ generent formam? An verò id genus ſcutuli. Xenophon ait Amazonum peculiare ſcutum fuiſſe forma folii hederæ, unde poſſemus nos elicere etymon datum quaſi πετήλον.

XIX.

Quamobrem impoſitus eſt Apollinis manibus Gallus? videbatur enim potius Martis, cujus olim puellus fuit comesque & cuſtos ſtupri, quod committebatur cum Venere, ut ſolem exortum indicaret, quo rem veneream abſolverent; ſed ſopitum puerum quodam mane ſol

fefellit, exoriens videnſque Martem cum Venere. Unde deprehenſus indicatuſque Mars vertit eum in cognominem belluam. Vel videbatur potiùs Mercurio convenire, cui dicatus eſt à Magis. An igitur ſicut ſol exercet imperia in cæteros errones, ita Gallus in ſubjectas cohortales. An quòd ſol ex nomine ſolus unumque ſolem poteſt tolerate natura; ita unum Gallum, Gallinarum unus grex. An quia nunquam deficit ad coitum & generationem; porrò Sol generat. An hæc omnia non vera ſunt, ſi dicatur per hanc imaginem matutinam tempeſtatem ſignificari.

XX.

Quamobrem equus Virgilianus graviter ſonat ungula cornea? An qui Xenophon laudavit ex parte equos qui cava ungula, & ob id ſonanti eſſent? Cava autem ungula fidelior eſt, adverſus læſionem pedis è pavimento. Non latum intelligas ſimpliciter, ſed eo modo, quo ajunt, benè habitum equum demittere ſummam ſpinam, atque utrinque efferre duplicem; Etiam venatores inducere ſolitos cavas ſoleas traditum eſt.

XXI.

Quamobrem infauſtam vocem antiqui *piſtrinum* dixerunt? An quia qui in piſtrinum dabantur, in perpetuo opere erant, nunquamque ſomno indulgebant; Theocritianam enim mulierem ſolam ex Amphitruonis familia ſomnus non mulcebat; quæ quies hominum eſt à laboribus data & vitæ reparatio. Unde ſomnum patrem appellare ſolemus, quod nos

alat,

alat, levetque curas, ſedetque cupiditates, inducatque laborum oblivionem; Quodque maximum eſt, docet non levem eſſe mortem, quam toties veluti per quandam ſcænam agamus. Julius Pollux viſus eſt reformidare hanc vocem. An igitur dicendum eſt ne mortem quidem piſtrino graviorem eſſe? Cum vinctos ſervos olim dederunt heri. Supra igitur ſervitutis miſeriam is erat gradus, cum tamen ſciamus nihil omnino inter omnia miſerius quicquam eſſe ipſa ſervitute; quam morte fugis Cato Romanorum ſapientiſſimus & ſanctiſſimus. Miſeri enim ſervi laborant nocte dieque indefeſſo labore, majore inedia. *P*ræter autem cætera tormenta adhibebatur quædam machina rotunda collo eorum: ita ut ne poſſent manibus ori admotis farina veſci.

XXII.

Quid eſt Virgilio. *Sed cruda deo viridiſque ſenectus*? An quia in ſenibus abolitum eſt omne humidum, pluſque terræ eſt relictum, ideoque ſenes ſunt rigidiores. An hoc falſum eſt? poſuit enim *P*oeta in Charonte, ut rarum & dignum exegeſi. Dicendumne eſt igitur. Virgilium voluiſſe quod Græcis eſt ὠμογέρων

XXIII.

Quare comprobatum eſt cervos cornibus fidere, ſuamque generoſitatem inde aucupari? An quod abjectis cornibus latebris medentur pudori? quemadmodum notum eſt equos mirum in modum juba ſuperbire? unde equi Virgiliani jubæ ludunt.

XXIV.

Qui dicti ſunt aures & oculi regis? An qui deferebant aliena delicta, ſubjectorúmque animum indicabant regi? Unde dictum eſt à Sabino.

An neſcis longas regibus eſſe manus?

An ſunt ii quorum curæ reditus & vectigalia commendata ſunt, quibus tanquam ſpongiis Veſpaſianus ſe uti dictitabat? unde etiam Longimanum Polycletus dixit Darium Hydaſpis filium. Antileon tamen mavult Xerxem: Alii voluerunt Artaxerxem: ſic cognominatum, vel quod longam alterutram, vel etiam utranque manum haberet.

XXV.

Quare Delphi Venerem currum appellârunt? An ſimpliciter ea cauſſa quæ apud Latinos fuit conjugium diceretur? Conjunguntur porro equi: An quod ut domi mulier præeſt ſupellectili à viro comparatæ: ita auriga currum dirigit ad nutum bellatoris. Ita enim rectè œconomica curantur, ſi & quæ è re ſunt domus, princeps ac dominus imperet. Rectè vero imperat præterea ſedulitas ſervorum exequitur: Natura enim dominum, qui aptus natus ſit ad imperandum, conſtituit Ariſtoteles: ſicuti ſervum qui aptus natus ſit ad ſerviendum. Unde nuptiales tibiæ impares erant, ut ſcilicet notaretur inæqualis domeſtici imperii participatio. Quæ verò tibiæ conviviis adhibebantùr, pares erant, ut æqualitas convivii ſignaretur, unde etiam δαῖς dicta, quod eadem portio omnibus eſſet: ut non immeritò Cæſaris

ris magnanima clementia piſtorem malè mulctarit, qui alium, quàm ſibi, convivis panem ſuppoſuerit.

XXVI.

Quamobrem Heroicum verſum etiam Pythicum appellârunt? An quòd conſtet oraculum non eſſe uſum aliis, licet circumferatur *ἀνδρῶν καὶ πάντων Σωκράτης σοφώτατος*: & alia quæpiam? An quod primum inde auditum eſt hoc

Συμφέρετε πτέρα οἰωνοὶ κηρὸν καὶ μελισσαι.

XXVII.

Quamobrem Gelon devictis Carthaginenſibus referendum in pactiones voluit, ut deinceps ab immolandis Saturno liberis abſtinerent? An quia inhumanum id videtur? Cum Pythagoreos conſtet adeò à cæde alienos eſſe, ut etiam infrequentiores ad ſacrificia ſint? Nam Pythagoram ajunt cum primus vidiſſet lineam angulo majori trianguli ſubtenſam æquè valere atque duo reliqua latera, ſacrificaſſe. Annon hoc veriſimile eſt in tyranno, in non Pythagoreo, in hoſte? Nam cui rei magis ſtudendum erat ei, quàm ut ne poſteri Carthaginenſium acceptam patrum injuriam ulciſcerentur? unde Seleucus Babyloniis juſſit ut arma deponerent, genióque & ventri indulgerent. Ratus hoſtium & ſubditorum deſidiam, maximam eſſe ſuo regno ſecuritatem, & ideo dicendum: Cum ſciret Saturnum numen eſſe praviſſimum & maleficum, colique potiùs ut ne obeſſet, iratum voluit hoſtibus, atque infeſtum reddere: Idque eſt in Hiſtoria

Romana, deos iratos Tarentinis, relictos eſſe. An dicemus maximè fuiſſe ſollicitum de hoſtium fortitudine ac robore, ut ſtaret hinc ſua virtutis meteria & alimentum ac pabulum; Tum etiam ut eſſent, quibuscum bellum gereret, ſicuti jactatum eſt de Carthagine in laudem Romanorum.

XXVIII.

Quamobrem Vulcanum claudum fingunt & in Lemno habitantem? An quia erant ibi venæ ignis? Claudum verò, quia ignis claudicet dum vibrat ſeſe? An ſicut claudi egem ſcipione, ita etiam ignis ligno.

XXIX.

Quis fuit ille qui naves à portu Carthaginienſi è Sicilia prodeuntes proſpexit? An fuit Strabo nomine directo: an verò inditum ei eſt ex adverſo ſignificatu? Mirmecidæ verò opus eſt, & Callicratis currus muſcæ ala contentus. Strabi autem ſunt ex priſca Comœdia, Strabones ex nova.

XXX.

Quare Horatius Cinctulos Cethegos appellavit? An quia cinctus erat proprius viris cingulum autem mulieribus? ut igitur eos maſculos appellaret, cinctutos dixit: Sicuti contra diſcinctos affros.

XXXI.

Quamombrem pulcherrimas quaſque palmarum *Nicolaos* appellarunt veteres? An quia earum foliis victores ſacrorum certaminum ornabantur? Vel quia æquè præſentes animos concertantium declarat æqualitas foliorum?

Vel

Vel quia Athletarum robur, & faciem totius corporis, cui arbori præterea meritò comparare poſſent, non habebant? An quòd nunquam folia amittit, ne illa quidem ſucceſſione, pertinacem fortitudinē rectè comparatam volunt? An quia Theseus in Delo cùm certamina perageret, victori ſtatuit ſacræ palmæ, quæ ſpadix dicebatur, coronam? An quia cùm Ægyptii jactent apud ſe tercenties ſexagies in alium atque alium uſum venire; Græcia autem non alat ejusmodi arborem niſi ſterilem, quemadmodum etiam Italia, ſed præbeat tantum precariam magnitudinis ſpeciem; Rectè ei non videntur abſimiles athletæ, qui inutile robur exercent. Unde Alexander cum Athletæ ſigna intueretur; *Et ubinam*, inquit *hæc immania corpora erant, cùm Barbari vos interiment?* An verò hæc omnia vana ſunt? Cum credimus palmam nunquam pandere ſed reniti: ita viſi ſunt ſibi victorem eum declarandùm, ornandumque, qui nequaquam adverſario ceſſiſſet. An quòd Rex Ægypti cùm delectaretur Philoſopho Peripatetico Nicolao, quòd eſſet ſuaviſſimus, & jucundiſſimus, volunt ejus memoriam cognomento palmarum propagari? Cùm ipſe quoque eſſet gracili proceràque ſtatura, quendam ruborem facie præ ſe ferens.

XXXII

Cujus inventum eſt illa neutra armatura in bellis, qua qui utebantur διμάχαι dicebantur? *A*n fuit *A*lexander, ut expeditos & equo, & pedibus haberet, ubi uſus eorum neceſſitas exigeret in loco equitatui iniquo, nec eorum operam

ram deſideraret. Dicunt enim eós fuiſſe levioris armaturæ quàm peditem par ſit, gravioriſque quàm equiti conveniat. Ex quo licet conjicere longè inſtructiores fuiſſe pedites equitibus, leviores peditibus διμάχαι, graviores equitibus: quod enim eſt levior leviore, eſt etiam gravior graviore.

XXXIII.

Cujus inventum eſt ſal? An, ut vult Pollux, Neptuni, qui primus ut gratum faceret Tragaſo Epirotæ, ſtrinxit aquaş ità, ut ſal fieret? An verò dicendum eſt ex receſſu æſtuariorum caſu in oppleta foſſa Solem perfeciſſe.

XXXIV.

Quamobrem cùm Epaminundam fortitudo vindicavit in famam, piam maximè dicere ſolemus? An quòd ea omnis fortitudo pro patria periclitabatur, veritus ejus imprimis cenſuram, cum ſuſpicio turpiter amiſſi clypei eùm agitaret agentem animum? Turpe enim erat clypeum abjicere, gravéque, cùm eſſet Lacedæmoniis peççatum uſque ad mortem, cogerenturque Lacones metu mulctæ facere fortiter, aſſumereq; patriarum legum rigorem εἰς συμμαχίαν. Ipſe ductus ſola animi præſtantia, ſuum interitum patriæ gloriam interpretabatur, cujus uſui vita præſto fuiſſet. An quòd eam vocem pietatis, conſuetudo magis refert ad eam virtutem quæ optimum filium patri reddit? Unde Æneas, & is qui Ætnæ incendiis confectum ſenectute liberavit, magno exemplo cedentibus flammis. Unde omne deinde ſcelus appellari parricidium cœptũ, quòd in hac vo-

voce nihil ad ſummum impietatis deeſſet. Merito enim horrendum genus ſupplicii excogitarunt antiqui, quod in Roſciana rectè Cicerò declaravit, & ſibi plaudens, repetiit in Oratoriis. Et pater Jupiter eſt, & patrem patriæ multi imperatorum ſuperiorem Cæſaris nomini dixerunt, oblatumque in merita diſtulerunt. Patriam enim, quam chariſſimam habere debemus, noſtra opera utitur patris beneficio. Pietas igitur non immeritò iis potiſſimum ornamentum cognominis aut communis conſenſus affert: qui ſe ſuaque omnia patri relata volunt. Pius igitur Epaminondas ex magnanima voce, quæ ſupra omnem lætitiam erat, quòd vivis parentibus rem benè geſſiſſet.

XXXV.

Quamobrem Athenienſes Cereales mortuos appellabant? An quia terram Cererem eſſe dixerunt? Venerem Lunæ matrem, cum qua tantiſper eſt, dum fulget: hominem autem conſtare tribus, intellectu ex ſole, anima ex Luna, corpore ex terra, quæ Ceres eſt. In mortuo autem terra tantum quæ munus eſt Cereris, relinquitur. Animas autem volebant reddi Lunæ, quemadmodum ex Heroibus invulgatum erat. Inhabitare autem Lunæ cœlum animas omnes ſciunt. Lunæ autem globus quibuſdam in receſſibus etiam nobis compertus eſt. Nam maculas illas voluerunt eſſe Lunæ corpus quod ſubſederit, in ea parte eſſe animas, quæ rationem reddant vitæ adminiſtrandæ: & hiatum illum appellari, Hecates receſſum. Alias item eſſe ingentes cavernas proditum eſt: al-

teram verſus Lunæ cœlum, & eam eſſe, quos Elyſios vocant campos: alteram ad nos Proſerpinæ telluri adverſam. Dæmones igitur inter ſe conferunt ad actionum humanarum adminiſtrationem, quod ſi quando contigerit eos agi vel amore, vel livore, vel alio quopiam morbo, ita laborare, ut juſtitia minus perſpiciatur? tum luunt pœnas in humanis corporibus: vel, ut Empedocles, ab æthere ad mare protruduntur, è quo in terram impacti, rurſus ab ea ſoliditate reſiliunt ad ſolem. Sol autem eos redigit in ætheris regionem; Ita motu & agitatione reparant amiſſam puritatem ex calore. De numerò bonorum dæmonum, in Cræta, Idæi Dactili; in Phrygia, Corybantes cum Baccho, Sileni, Panes, Sylvani; Tametſi eosdem eſſe Curetas, Dactylos, & Corybantes apud nonnullos reperiatur. Intellectu autem, aut igni dixerunt animam illuſtrari, etiam ex rebus judicatis, recteq; electis fieri meliorem, ex ipſaque actione, ſicuti vult Ariſtoteles; Ideoque Lunæ alterum eſſe, alterum autem Solis, quia res ſit apertiſſima, atque lucidiſſima. Intellectum autem eum eſſe, qui quia puriſſimus ſit, maximéque Deo ſimilis, evolet ad ſuprema; Animam autem præbere de ſe ſpectrum quoddam vanum; plecti autem ſi malè rem geſſerit; hinc enim ei delegata ſunt inferiora loca; pro autem benefactis ſortiri quietem ex Elyſiis. Philoſopham verò & quietam vitam qui degerunt, quia ex aſſuetudine perfectam naturam comparârunt, ut eſt in 2.

ab affectibus liberæ ſunt propterea, puraque

natura

natura inſignes. Ambitioſæ autem, & quæ libidinibus captæ obtemperarunt, quaſi quibuſdam inſomniis vanis vitæ prioris memoriis, nec quieſcere, quibus aſcribunt etiam Endymionem. Ex his autem numerum Parcarum conſtituerunt. Atropos initiatur corpora vitæ ſacris, rationemque indit. Clotho circa Lunam eſt commiſcens & componens. Tertia Lacheſis ſub ſorte, unde nomen deductum volunt, quia ſortiatur in corpora quod cuique deſuper deſtinatum ſit. Primæ autem nomen eſſe, quia nequeat ſubverti; Intellectus enim reliquas partes regit, neque inquinatur, ſed ad ſolem remeat, neque plectitur, neque pati poteſt purus & immiſtus. Clotho à filando dicta, ſcilicet continuat ſeriem compoſitionis, conjungitque intellectum corpori per animam. Ideo quædam duo miſta voluerunt animam ex levioribus minutioribusque ſeminibus: ideoque obviam cruciatibus eſſe, non diſſolui tamen: Corpus autem ex imperfectiori materia, idcircoque diſſolui.

XXXVI.

Quamobrem dixerim potiùs *τὸ μύρτον, τὸ γλυκήρειον*, quàm fœminino articulo; An quod nullum nomen Græcis reperiatur in *ον*, alterius, quàm neutrius generis? An hoc uſus deſtruit, cùm apud Machonem verſus ſit,

Κρείττους κ᾽ πίνουσιν οὐδὲ τὴν γιαθαίνιον.

XXXVII.

Quare hedera ſacra Baccho? An quia vas ex hederacea materia vinum non continet: ita ſepa-

ſeparatur vinum ab aqua. Plinius : Cato, &c.

XXXVIII.

Quare recentiorum quidam *Epiſtulam*, non *Epiſtolam* dicunt ? An quòd afferunt literam illam, quam in hoc verbo volunt eſſe, Italorum adventitiam. Non hoc ex Plinio poſſunt adducere Igiturne dicendum *amo*, *olli*, *nolis*, ultima primæ media vocali eo modo, quo iſti volunt? An hoc eſt falſum, præſertim cum in nomine Græco, ſicut ego ſtatuo contra iſtos, ἐπιστολὴ, Epiſtole. Et præterea deridendi ſunt iſti, quia cum literam, quam affectant è verbis Græcis in eam, quam abjiciunt, veteres vertere, ut conſtat in *ſomno*: eſt enim Græce ὕπνος. Amplius autem quia non ſemper ſibi conſtant, quia iidem non *numiſma*, ut eſt in uſu, ſed *nomiſma* dicunt.

XXXIX.

Quamobrem Lucianus profitetur à ſe primo Dialogorum ruditatem permolitam ? An quòd molliciem allatam intelligit ex illius ſalibus, cum apud Platonem diſputationes dialogis contineantur ? An hoc falum eſt, cùm omnia ſympoſia per Dialogum peracta videamus? An verò cum Dialogorum quidam ſint διηγηματικοὶ qui introducuntur à narrante autore : alii δραματικοὶ qui & aguntur per perſonas. Ipſe de his intellexit. Nam illorum genere ſympoſia continentur Acceptos autem Dialogos & in molliciem inclinatos ab Alexamene Tejo quis potius dixerit, quam à Platone, qui poſtea fuit.

XL.

Cujus inventum eſt funda? Acarnaùm, ubi ſcilicet ajunt fundas optimas eſſe, ſicut lac, canes, clypeum Argolicum, loricam Atticam, galeam Bæoticam, pilam pugionèmque Laconicum, machæram Celticam, jaculum Etolicum, ſecurim Thriciam, propter Lycurgum fortaſſe. An id falſum eſt? Nam cùm optimi arcus Cretenſium ſint, tamen eorum inventum deferunt Scythis: unde videbis adjectas appellationes *Scythicas* apud Homerum, Dionyſium, Euripidem, Theodectum. Ideòque dicendum eſt inventum eſſe Balearicæ inſulæ incolarum, ubi matres panem deſtinatum cœnæ, pueris præſcripto ſigno jubent funda dejicere, fame dirigente animum ictúmque certiſſimum.

XLI.

Quamobrem Cicero dixit Græcos neſcire quid velint cum vultum & faciem, cnm tamen nullo diſcrimine πρόσωπον dicant? An quia πρό-σω πον eam partem appellârunt quæ fronti ſubjecta éſt, unde fit conjectura animorum? Magis autem vultum tantum judicari voluiſſe indicio eſſe, quod in hominibus tantum eſſe voluerunt: in brutis autem προτομή. Tametſi vas Atticis peculiare προσωποῦττα appelletur, Echino ſimili, circa oras Leonum capita geſtans περὶ τὰ πρόσωπα ſcilicet τῶν λεόντων.

XLII.

Quare dualem numerum non habent Latini? An quòd Æoles, quos, ut vult Athenæus.

Quare

Latini ſunt ſecuti, reſpuerunt quaſi malè ominatam vocem, quòd δηϊόω verbum ſit hoſtile.

XLIII.

An verum eſt quod dicitur Latinos non habere indefinita præterita? Annon videtur aliud eſſe, *ſcriptum eſt* & *ſcriptum fuit*?

* * *

Multa deſiderantur.

FINIS.

JOHANNES WOVERUS

Cent. 2. Epiſtol. 67. pag. 343.

ITa non fruſtrà ſperabo editionem meam luce ingenii tui illuſtratam inter omnes alias eminere poſſe. Problemata Gelliana *patris tui Herois incomparabilis lubens adjicerem, ſi ſcirem illorum editionem ad ipſius honorem pertinere. Non defugies indicare ſententiam tuam. Nihil enim temerè te invito ſuſcepero.*

BE-

BENEVOLO. L.S.

NE quid ex tanti viri variis iisque immenſis operibus deſideraretur, aut periret, hæc etiam Problemata Gelliana quamvis omnino lacera, hiulca, & inemendata tibi dare voluimus. Schedas autem non ſatis diligenti manu curatas nude repræſentârunt operæ, ut non mirum ſit ſi ubique fere mendę occurrant. Maluimus hæc qualicumque modo ſupereſſe quam omnino non eſſe: & certe melius ſemper eſſe quocumque modo ſis, quam non eſſe. Peccata multa hic invenies, fateor, ſed tamen legitimum operis magni hactenus ineditum habebis: utinam integrum utinam purum, utinam perfectum & repurgatum? Tute ipſe (lector) adornabis & emendabis pro viribus ingenii. Vale & longe majora ac meliora exſpecta.